

יְדִמְיָהוּ בֵּן עֲשֵׁר עָמִי
גְדוֹלִים הַרְאֵשׁוֹן

SIVE DE

JEREMIA

I N T E R

PROPHETAS MAJORES

P R I M O,

DISSERTATIO PHILOLOGICA

R. DON ISAACO ABARBENELI

IMPRIMIS OPPOSITA,

QVAM

DIVINA FAVENTE GRATIA

AC

SUPERIORUM INDULTU

IN INCLYTA ACADEMIA LIPSIENSI

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI

AD D. XXX. DECEMBR. ANNO M DCC IV.

SUBJICIENT

P R Æ S E S

M. JOS. HENRICUS OPITIUS,

K I L. H O L S.

ET

RESPONDENS

MATTHIAS MELCHIOR HACKENBERG,

LENNEPA MONTANUS.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ, Literis IMMANUELIS TITII.

a. LXXXVI. 35.

G. D. Pauli

Coll. diss. A
836, 35



1741



עמי עשר

PRO O E M I U M.



Ulemadmodum mira ubiq₃, circa ordinem Libro-
rum V. T. in genere spectatorum deprehen-
ditur discrepantia, à diversa Partium consti-
tutione potissimum orta: (α) ita Prophetæ
imprimis non uno eodemq₃, apud omnes modo
dispositi reperiuntur. Observavit id jam
suo tempore Hieronymus, qui XII Prophe-
tas Minores in LXX Interpretum Versione,
longè alio, quam in Hebræo Codice colloca-
tos fuisse ordine testatur, (β) quam hac in parte secutus etiam est Au-
thor Libri IV Esræ, (γ) secuti & Eusebius, Pseudo-Epiphanius, &
Pseudo-Dorotheus, qui Prophetarum vitas descripserunt. (δ) Hi
quippe omnes Amosum secundo, Micham tertio, Joëlem quarto, quin-
to Obadiam, sexto Jonam collocarunt loco, cum contra Hebræi Joëli se-
cundum, Amoso tertium, quartum Obadiæ, quintum Jonæ, sextum
Michæ tribuant, in Hosea ceteroquin, & sex posterioribus utrinque
convenientes. (ε) Sed nec Majorum Prophetarum idem ubiq₃, ordo ob-
servatur. Ut enim taceam, Judæos in universum omnes Daniele
è choro Prophetarum planè eliminare, & ad tertiam Codicis V. T. par-
tem, quæ כתיבִי f. Hagiographa complectitur, referre, quem ta-
men Christiani rectius inter Prophetas numerant; (ζ) ne reliqui etiam

A 2 tres

(α) Vid. Sixt. Senens. B. S. Lib. 1. S. 1. p. m. 2 seqq. (β) in Prolog. Galeat.
sive in Præfat. ad Libr. Regnm. (γ) c. 1. v. 38. 39. 40. (δ) teste Cl. Pet.
Dan. Huet. Demonstr. Evang. Propos. IV. p. m. 482. (ε) conf. Andr.
Rivet. Præf. in Comment. ad Hof. (ζ) conf. Dn. D. Calov. Bibl. Illustr.
T. I. Proleg. p. 652. & B. Joh. Frischmuth. in peculiari Dissert. de S. Scri-
pturæ in Legem, Prophetas, & Hagiographa Divisione, Abarbaneli im-
primis opposita, habit. Jen. 1665.

res Prophetae Majores uno ubivis ordine se invicem excipere conspiciuntur. Licet enim plerique Codices impressi pariter ac MSCti in frontispicio Prophetarum Esaiam exhibeant, alterum verò inter ipsos locum tribuant Jeremiæ, tantum tamen abest, id in omnibus Codicibus obtinere, ut potius hodiernum non pauci Codices Hebraei MSCti reperiantur, qui Jeremiam primo, Esaiam verò inter Prophetas Majores ultimo ponunt loco. Liceat mihi hic provocare ad binos Codices Erfurtenses, uno Volumine universa Biblia V.T. complexos, & jam Collationi, à Viro Cl. Jo. Henrico Michaële, Prof. Lingg. Orient. in vicinâ Academiâ Fridericianâ meritissimo, Fautore nostro honoratissimo, instituta intervenientes, qui pro suâ humanitate hac de re per literas nobiscum nuper communicare benevolè voluit: liceat deinde etiam provocare ad unum Codicem Berolinensem quatuor grandibus Voluminibus Biblia universa, cum universo Targum, etiam in Chronicorum Libros (η) continentem, quem Cl. Dn. Præses post multos alios contendente pro ipso Illustrissimo Comite Suerinensi, ac Parario Celeberrimo Laurentio Begero, Consiliario ac Bibliothecæ Præfecto Supremo, in hospitio ipsius, quoad Berolini degit, in locis dubiis consulere ipsi licuit, (θ) qui quidem Codices omnes eum, quem diximus, ordinem inter Prophetas Majores observarunt: & quod magis etiam mireris, ipsa Masora MSCta Bibliothecæ Palatinæ, si alias Cl. Buxtorfio, P. fides est habenda, (ι) eadem planè serie Prophetas illos allegavit; quod notandum imprimis contra Richard. Simonium, qui sine ulla restrictione Masorethas primum Esaiam locum concedere asserit. (κ) Nec dubitamus, quin in aliis quoque Bibliothecis Londinensi, Oxoniensi, Parisinâ, Florentinâ, &c. plures ejusmodi Codices MSCti reperiantur, qui eodem modo Prophetas Majores disponant. Non dissimulavit hoc ipsum Celebris quidam Judæus Germanus, multorum Librorum editione clarus, R. Elias Levita, cum inquit (λ) ובעלי המסורת סדרן נביאים בסדר הזה רק שהקדימו ישעיה לפני ירמיה (λ) ויחוקאל לפי שזמנו היה קודם זמנם וכן נחלף סדרן בכל ספרי ספרדים המובהקים Eodem ordine (à Tal-

mu-

(γ) Quod rarum alias fuit, & nuper demum cum Versione latina & Annotationibus à Cl. Beckio editum. conf. Dissert. M. Jo. Bernhard. Luhn, de Memoria Matthiæ Friderici Beckii ab oblivione vindicata habit. Witteb. 1703. (θ) de quo Codice conf. D. E. Jablonski, in Præfat. ad Bibl. Hebr. §. 6. (ι) Comment. Masor. Cap. XI. p. m. 104. (κ) Histor. Crit. V. T. Lib. I. c. 9. p. m. 58. edit. Natal. Albert. de Versé. (λ) Præf. III. in Libr. Masor. Hamafor.

mudistis videl. tradito) Masorethæ Prophetas collocant, nisi quod Esaiam Jeremiæ & Ezechieli, tempore quippe iis priorem, præponant. Atque hic eorum ordo reperitur in omnibus Codicibus Hispanicis correctioribus: at in Libris Germanorum atque Gallorum servatus est ordo Talmudistarum. (μ) Et solet id inter alia a Viris ejus rei peritis pro genuino antiqui alicujus Codicis signo haberi, quando primum inter Prophetas Majores locum Jeremias occupat. Atque ita satis patere existimamus, quod non Minores tantum, sed & Majores Propheta eodem ubiq; modo ordinati haud reperiantur. Quandoquidem verò posterior illa, quam modo circa Esaiam, Jeremiam, & Ezechielem notavimus, discrepantia Magni nominis Viris, (ν) tanti visa fuit, ut accurata ejusdem consideratione non parum lucis affundi posse existimaverint difficillimo alias, maximeq; intricato loco, Matth. c. XXVII, v. 9. in quo Jeremias pro Zacharia allegatur, qui quidem nodus vetustissimos quosvis ac optimos Interpretes adeo torsit, ut etiam quidam illorum ἡν άεσημα μνημονικόν hic ab Evangelista commissum esse statuerint: (ξ) & præterea novaturiens ille R. Isaacus Abarbenel nihil non egit, ut Esaiæ suo quasi jure primum inter Prophetas Majores locum competere, & secus ordinem Prophetarum instituentes minus accuratè procedere ostenderet: non abs re nos facturos existimavimus, si nobilissimum hocce Argumentum à nemine, quantum nobis quidem constat, hætenus pertractatum, præsentī Dissertatione paulo accuratius atque prolixius pensitemus, ita quidem, ut ante omnia ex antiquis Judæorum monumentis Jeremiam jam olim inter Prophetas Majores primum locum obtinuisse evincamus; dein Objectionibus Abarbenelis, quibus ordinis hujus inconvenientiam ostendere conatur, quantum fieri potest breviter ac solidè satisfaciamus; ac tandem, quid de illorum habendum sit sententia, qui locum Matthæi supra allegatum, ex hac Jeremiæ Prioritate illustrandum esse putant, nostrum judicium subjungamus. Faxit supremum Numen, ut omnia cedant feliciter!

(μ) De quo Talmudistarum ordine statim pluribus. (ν) infra à nobis citandis. (ξ) Evangelistam memoriæ quodam lapsu pro Zacharia posuisse Jeremiam audacter asseverare non verecundatur Erasmus in Annot. ad h. l. quam sententiam Lud. Capello etiam tribuit Frischmuth. Dissert. sup. all. c. 2. §. 1. nec non Socino Excell. Dilherrus Eclog. Sacr. p. 363. Nec aliter ex antiquis Patribus sensit Augustin. & Euseb. author est Beza ad h. l. quamvis is Augustino videatur facere injuriam, cum is lib. 2. de Consens. Evangel. c. 7. singulari Dei consilio factum esse asserat, ut animo Matthæi pro Zacharia occurreret Jeremias, quia omnes Propheta uno Spiritu sint locuti, ita ut singula sint omnium, & omnia singulorum, &c.

§. I.



Uod si antiquissima Judæorum monumenta hic evolvere nobis liceat, apparebit omnino, *Jeremiam* non tantum, sed & *Ezechielem* (a) in Volumine Prophetarum jam olim *Esaia* fuisse præpositos, ipsumque adeo inter Prophetas Majores ultimum locum occupasse, secus atque hodiè in omnibus Codicibus impressis factum videmus, ubi in frontispicio Prophetarum constanter *Esaia*s comparet. Doctores enim Talmudici de ratione scribendi ac compingendi Libros Legis, aliisque ad Codicem V. T. spectantibus differentes, inter alia hunc Prophetarum ordinem, à Majoribus ipsorum traditum, referunt his verbis: (b) תנו רבנן סדרן של נביאים יהושע ושופטים שמואל ומלכים ירמיה ויחזקאל ישעיה Tradunt Rabbini nostri: hic est ordo Prophetarum, *Josua*, *Judicum*, *Samuel*, *Regum*, *Jeremias*, *Ezechiel*, *Esaia*s & *Duodecim*. Addunt simul etiam rationem, quare Majores ipsorum *Esaia*m, tempore licet priorem, *Jeremie* tamen & *Ezechieli* voluerint postponere, quando pergunt: מכרי ישעיה קרים מירמיה ויחזקאל ליקרמיה לישעיה ברישת כיון דמלכים סיפיה חורבנות וירמיה כוליה חורבנות ויחזקאל רישיה חורבנות וסיפיה נחמתות וישעיה כוליה נחמתות סמכיבן חורבנות לחורבנות ונחמתות לנחמתות Cum autem (tempore) præcesserit *Esaia*s *Jeremiam* & *Ezechielem*, præponendus ritè esset *Esaia*s. Verum cum Liber *Regum* terminaret cum excidio, *Jeremias* verò totus ageret de excidio, cumque *Ezechiel* inciperet ab excidio, terminaretq; cum consolatione, *Esaia*s verò totus ageret de consolatione, conjunxerunt excidium cum excidio, & consolationem cum consolatione, i. e. exponente *Cl. Lightfoot*. (c) Libros qui egerunt de excidio conjunxerunt, & Libros conjunxerunt, qui egerunt de consolatione.

(a) Quem minus rectè ex mente Judæorum *Esaia*s postponit *Cl. Jo. Henr. Hotting. Thef. Phil. Lib. II. c. 1. Sect. 2. p. m. 469.* & *B. Pfeiff. Crit. S. c. 1. p. 5.* (b) in *Massech. Bava Bathra c. 1. fol. 14. col. 2.* (c) in *Hor. Hebr. in Matth. c. XXVII. v. 9.*

§. II.

§. II. Circa quam Talmudistarum rationem id unicum saltim probè observari velim, non illud præcisè eos indigitare voluisse, quasi Propheta Jeremias ita de excidio ageret, ut nihil planè consolationis admixtum haberet, Esaias verò totus, quantus quantus sit, in consolatione occuparetur; contrarium enim vel sola utriusque Prophetæ inspectio docere potest: sed quando Doctores isti asserunt שירמיה כולו חורבנה וישעיה כולו נחמתה *Jeremiam totum agere de desolatione, Esaiam vero totum de consolatione*, id de maximâ utriusque parte intellectum volunt, adhibendo *Synecdochen Generis*, loquendi ratione, ut in communi consuetudine, ita in ipsâ quoque Scriptura Sacra non inusitata. Sic quando Exod. XXXII, v. 3. memoratur, quod כָּל־הָעָם omnis populus avulserit in aures suas, & Aaroni eas obtulerit, aliquam saltim populi Israëlitici partem intelligendam esse non solum v. 24. svadet, sed & ipse Apostolus Paulus 1. Cor, X, v. 7. expressè testatur, quippe qui τίνας aliquos tantum nominat. (d) Et spectat huc omnino Regula Juris (e) *Omnes videntur facere, quod facit major pars*, & Πολυθρόλον illud: *Verba sunt intelligenda secundum subjectam materiam*. Quibus observatis, concidit jam exceptio R. Abarbenelis, quam contra rationem à Talmudistis allatam inter alia urget, cum inquit: (f) *Quod ad rationem à sapientibus nostris allatam attinet, qui desolationem cum desolatione, & consolationem cum consolatione fuisse conjungendam asserunt, non videtur ista satis esse conveniens. - - - Cum ipse etiam Esaias destructionem Templi primi per Nebucad-Nezarem, Regem Babelis aliquando peragendam nec non destructionem Templi secundi prædixerit, qui proinde totus in consolatione occupatus haud est. Sed & Jeremias varia vaticinia de consolatione ac futura redemptione edidit, unde nec ipse totus in desolatione esse dici potest. Et ut paucis me expediam, omnes omnino Prophetæ simul de desolatione ac consolatione vaticinati sunt. Quid igitur causæ fuit, cur ordo prioritatis temporis propterea turbaretur? Inepta sane, ac tanto Doctore vix quidem digna exceptio! quam ipse etiam, sui forte oblitus, alibi apertè iterum refellit, quando summam libri Esaiæ præstantiam ex crebris, quæ in illo continentur, consolationibus ac vaticiniis de futura populi Israëlitici liberatione probaturus, inter alia ad hoc ipsum testimonium Talmudistarum provocat, eodemque planè, quo nos,*

sensu

sensu illud exponit, scribens: (g) ואתה תראה שנספר ישעיהו בראו הרבה
 כנאות נחמת וגאולת ישראל יותר מנספר אחר משאר הנביאים עד שמפני זה אמרו
 ח"ל כמו שזכרתי למעלה שהיה ספר ישעיהו כלו נחמתא כי מפני שבאו בו יותר ייעודים
Observabis enim, quod in Libro Esaiæ plura vaticinia consolatoria, deq; futurâ Israëlitarum liberatione, quam in ullo reliquorum Prophetarum Libro occurrant. Hinc est, quod sapientes nostri p. m. uti jam superius memini (h) dixerint: quod Liber Esaiæ totus sit consolatorius: quia enim plures promissiones ac vaticinia consolatoria in eo continentur, absolutè ac simpliciter dixerunt, quod totus in consolatione sit occupatus. (i) Cæterum, an hæc Talmudistarum ratio satis apta sit ac conveniens, quæque ipsos ordinis hujus Authores permoverit, ut *Jeremiæ* primum inter Prophetas Majores locum concederent, de eo quidem impræsentiarum cum *Abarbenele* non multum disceptabimus, (k) id saltem æqui Lectoris commissum volumus judicio, an non eandem censuram ipse Censor incurrat, quando *Obadiam*, utut tempore priorem, rectè tamen *Joëli & Amoso* postpositum esse evicturus, eandem, quam hic in Talmudistis carpit, rationem urget, quia scil. in eodem argumento occupatus fuerit, in quo *Joël & Amos* Prophetiam suam finierint. (l)

(d) vid. Glass. Rhet. Sacr. Tr. I. c. 14. p. m. 1360. seq. (e) quæ exstat in ff. §. Quod Major. (f) Præfat. in Es. fol. 1. c. 1. (g) ibid. f. 2. col. 1. init. (h) respiciens ad locum modo allatum. (i) vid. inf. §. 32. (k) quamvis El. Levita l. c. eandem סדרה נכונה rationem satis aptam atque solidam vocet. (l) vid. inf. §. 15.

§. III. Quo minus itaque hæc Talmudistarum Traditio dubitare nos permittit, hunc Prophetarum ordinem ultimæ esse antiquitatis, & ipsi fortè *Esra & Viris Synagoge M.* natales suos debere (m) quocunque demum consilio primus *Jeremiæ*, *Esaiæ* vero ultimus locus fuerit assignatus: eo magis etiam miramur, quî factum sit, ut sequiorum temporum Judæi, tam rigidi alias Traditionum suarum observatores, istum Prophetarum ordinem iteratò à Magno *Maimonide* inculcatum, (n) planè immutare, & in plerisque suis Codicibus *Jeremiam* secundo, *Esaiam* vero primo collocare loco voluerint? Etenim si *R. Davidi Kimchio* fides est tribuenda, nullus omnino ipsius tempore probatus Codes Hispanicus extitit, qui Talmudistarum ordinem fuerit secutus. Audiamus proprium hac de re Judæi testi-

mo-

monium: (o) חמר לוד בן יוסף בן קמחי זה הספר מלאוהו מסודר בסדרן של (o) נביאים אחר ספר ישעיהו וכן כתבתי פירושו אחר פי ספר ישעיהו ואע"פ שאינם מסודרין כן בדברי רז"ל שאלוהו סדרן של נביאים וגו' אף על פי כן בכל הספרים הטובים אשר ראינו שכתבו בספרד מכמה שנים סדרם לפי זמנם ישעיה קודם *Dicit David, fil. Joseph, fil. Kimchi: in ordine Prophetarum hunc Librum (Jeremiae) Esaiæ postpositum deprehendimus, ideoq; explicationem ejus explicationi Libri Esaiæ subjunxi. Licet enim in Scriptis Rabbiorum nostrorum p. m. hoc modo ordinati hant sint, dum scribunt: hic est ordo Prophetarum, &c. nibilo tamen secius in omnibus probatis Codicibus, quos in Hispania multis retro annis concinnatos esse vidimus, secundum tempora eosdem ordinatos esse deprehendimus, ita quidem ut Esaias Jeremiam, quippe etiam tempore eodem prior, & Jeremias vicissim Ezechielem precedat, &c. (p)*

(m) à quibus XII Prophetas Minores in ordinem digestos fuisse, censet Cl. Pet. Dan. Huet. l. c. Eosdem usitatae Judæorum Divisionis *ἑξήκοντα ἑξήκοντα* in Legem, Prophetas & Hagiographa Authores faciunt R. El. Levit. Præf. III. in Lib. Mas. Hamm. & Buxtorf. Comm. Mas. c. XI. p. m. 99. & 105. (n) in Hilc. Sepher Thora c. VII. §. 15. f. 89. col. 1. (o) Præfat. in Jerem. quæ habetur in Oper. Basil. Buxtorff. fol. 521. col. 1. (p) idem superius asserentem Eliam audivimus.

§. IV. Sed magis etiam R. *Abarbenelis* miramur temeritatem, qui ex instituto illorum in se patrocinium suscipit, qui antiquum istum Prophetarum ordinem inverterunt; & *quinque rationibus* evincere conatur, tantum abesse, ut *Esaiæ* ultimus inter Prophetas Majores locus sit tribuendus, ut potius eidem omnium primus *jure meritoque* competat. (q) Non jam illorum hic urgebimus sententiam, qui ab *Esra* & *Viris Synagogæ M.* antiquum istum Prophetarum ordinem institutum fuisse asserunt, in quos proinde non parum injurius foret *Abarbenel*, si eum, quem tanti, tantaque auctoritate conspicui Viri fecerunt ordinem, improbare vellet; quin potius ipsas statim *Abarbenelis* rationes, quibus *Esaiæ* primum vindicare locum conatur, ordine expendemus, [verbis tamen Rabbincis brevitate gratia sæpissimè omissis] & quid iisdem roboris insit, ea, quæ fieri potest, concinnitate dispiciemus.

(q) conf. totam ejus Præfat. in Es.

B

§. V.

§. V. *Primum Argumentum à Prioritate Temporis desumptum, hunc in modum ab ipso proponitur: הכונה הראשונה היא מפאת הזמן לפי שהקודם והראשון בזמן ראוי שיקדם וזכרונו למאמר ממנו בזמן וידוע שישעיהו נבא ראשונה זמן רב קודם ירמיהו ויחזקאל ולכן היה ראוי שיקדם ספר ישעיהו לספריהם*
Prima ratio desumpta est à tempore: qui enim tempore alterum precedit, ejus etiam memoria merito premitti debet ei, qui tempore est posterior. Jam verò notum est, quod Esaias diu ante Jeremiam & Ezechielem vaticinatus sit: unde etiam conveniens est, ut Liber Esaiæ ipsorum Libris premittatur. In quibus Abarbenelis verbis formale latet argumentum, quod ita fortè proponi posset: Quicumque scriptor facer prior altero est tempore, Is eodem etiam prior debet esse ordine: Atqui Esaias Jeremia & Ezechiele prior est tempore: E. Esaias etiam Jeremia & Ezechiele prior debet esse ordine. Nexum Propositionis Majoris probat inductione h. m. *Quemadmodum enim Liber Josua precedit Librum Judicum, & Liber Judicum Samuelis, & Samuelis Librum Regum, eo quo historia in iis proposita se invicem exceperunt tempore: ita quoq; conveniens est, ut Liber Esaiæ, Librum Jeremiæ & Ezechielis, eo quo vaticinia sua ediderunt tempore, antecedit, quia Libri Prophetici eundem ad se respectum habent, quem ad se invicem habent Libri historici.*

§. VI. Nos uti Prophetam *Esaiam* diu ante *Jeremiam* & *Ezechielem* vaticinatum esse facile agnoscimus, ita in argumento proposito simpliciter negamus *Nexum Propositionis Majoris*, cum ex ipso met Codice Sacro V. T. varia possint adduci exempla in contrarium, ubi in ordinandis S. Scripturæ Libris nulla prorsus temporis habitata est ratio. Ipse *Abarbenel* pro suâ, quâ pollebat, sagacitate Connectionis infirmitatem facile persentiscens, sibi met ipsi dubium aliquod ex *Talmude* (r) objicit, scribens: ואמנם אמרו חז"ל שארבעה נביאים נבאו באותו פרק הושע ישעיה עמוס ומיכה ושהושע היה הראשון להם שנאמר תחלת דבר ה' בהושע וכי עם הושע דבר תחלה וכלא מנחה ועד הושע הו' כמה נביאים א"ר יוחנן תחלה
At enim verò memoriæ prodiderunt Sapientes nostri p. m. quatuor Prophetas uno eodemque tempore vaticinatos esse, Hoseam videl. Esaiam, Amosum & Micham; Hoseam autem inter ipsos primum fuisse, quia scriptum sit: In principio locutus est Dominus ad Hoseam. (s) Sed quomodo Hoseas primus vaticinari potuit? nonne à Mose, usq; ad Hoseam tot Prophetæ intercesserunt? Re-
spo.

spondet R. Juchnan, primus fuit inter quatuor Prophetas, qui eodem tempore vaticinati sunt. Cui dubio ita occurrit: *Hæc sententia, non est probanda. Licet enim Esaias & Hoseas ambo vaticinati sint tempore Uzix, Jothami, Achasi, Hiskix, inde tamen nondum sequitur, Hoseam ante Esaiam vaticinatum esse.* Contrarium potius evinci posse putat ex 2 Chron. XXVI, v. 22. ubi *Esaias*, filius Amoz concinnasse dicatur res Uzix priores & posteriores, quod ipsum argumento esse, *Esaiam* vaticinia sua edere coepisse ante *Hoseam*, licet is eadem temporis periodo vaticinatus fuerit. Ad probationem Talmudistarum, quam ex phrasi תְּחִלַּת דְּבַר יְהוָה בְּהוֹשֵׁעַ desumunt, duo regerit [1] quidem provocando ad R. Salomonem Jarchium, qui hanc Veterum explicationem allegoricam esse dicat, literalem verò Scripturæ sensum nullum esse alium, quam hunc: *Initium sermonis, quem Deus cum Hosea habuit, hoc fuit: Sume tibi mulierem meretricem:* quam quidem expositionem ab omnibus Interpretibus, ne uno quidem excepto, approbari. Nec obstare huic explicationi, literam ך in sequente voce וַיֹּאמֶר & Accentum distinctivum Athnachum sub voce בְּהוֹשֵׁעַ obvium, cum ejus generis plurima in Scripturis exempla reperiantur, quorum aliqua ipse etiam adducit. (t) [2] referendo cum Talmudistis verba ista תְּחִלַּת דְּבַר יְהוָה בְּהוֹשֵׁעַ ad præcedentia, non verò (uti in priori responsione fecerat) ad subsequencia h. m. וּבַיּוֹמֵי יַרְבֵּעַם בֶּן יוֹאָשׁ. *Tempore autem Jerobeami, filii Joas, Regis Israël primùm locutus est Dominus ad Hoseam, ut sensus sit* שֶׁנִּימְוֵי הַתְּחִילָה הוֹשֵׁעַ לַכֹּהֵן *quod Jerobeami tempore Hoseas primùm vaticinari inceperit.* Nec esse, quod quis hic ad Sillukum inter verba תְּחִלַּת דְּבַר יְהוָה & מֶלֶךְ יִשְׂרָאֵל intercedentem velit provocare, cum haud inusitatum sit in Sacris literis שתָּחַל גִּזְר' הַכְּתוּב אַחֲרֵי סוּף הַפְּסוּק וְכֵן מֵיָמֵינוּ פְּעַמִּים רַבּוֹת שְׁתִּי גִזְרֹת בַּפְּסוּק אַחֲרֵי *ut post Soph Pasuk demum ponatur id, quod Scriptura vult enunciare, imo verò duas nonnunquam Sententias uno eodemq; versiculo comprehensas observari.*

(r) Massech. Bava Bathra l. c. (s) Hof. I, v. 2. (t) v. g. Genes. I, v. 1. 2. (quem tamen locum ex Sententia Raschi tantum allegat, qui cum ita exponit: In principio, quo creavit Deus cœlum & terram, tunc terra erat &c) Exod. 6, 28. 29. Num. 26, 1. Deut. 2, 16. 17.

§. VII. Cum verò his omnibus largâ manu concessis ulterius aliquis excipere posset, quare minimum *Hoseas Jeremia & Ezechiel* non fuerit præpositus, quos tamen omnium confessione tempore diu antecesserit? huic quoque exceptioni satisfactorius *Abarbenel*, rationem aliquam ex *Talmude* allegat, scil. שלמות כנאות תרי עשר כנאות סלסול כלם בספר אחד *quia Prophetie XII Prophetarum admodum sint exiguae, hinc omnes in unum Librum fuisse collectos.* (u) Tandem ne ullum amplius hac in re cuiquam remaneret dubium, de *Amoso* quoque, at breviter saltem, ostendit, cum post *Esaiam* vaticinia sua edidisse, cum inquit: *Sic & Amos, licet biennium ante terræ motum vaticinatus fuerit, non tamen ante Esaiam, quia Esaias forte sub initium Regni Uzie vaticinari cæpit: terræ verò motus in annum XXVII Uzie incidit, siquidem is XXV annos Regno præfuit.* Atque ita sufficienter nexum Propositionis Majoris se probasse, & contra omnes, quæ à quoquam moveri possent, exceptiones masculè munisse sibi visus est *Abarbenel*, unde etiam, quasi nihil amplius monendum restaret, concludit: לכן נדקו הקדמונים שנסדור ספרי הכנאות שמו *Ergo Majores nostri in ordinandis Libris Prophetis rectè primo loco collocarunt Librum Esaiæ.*

(u) in Massech. cit. Josephus etiam L. I. contra Appion & Græci, Epiphanius, Gregorius Theologus & reliqui, qui Canonem recensuerunt, sub uno Volumine XII Prophetas complexi sunt teste Rivet. Præf. in Hoseam. Hinc explicandum aliqui putant locum Act. VII, 42. sicut scriptum est in Libro Prophetarum, num victimas mihi obtulistis? ubi per Librum Prophetarum intellectum volunt Volumen XII Prophetarum minorum, quia locus iste apud Amos. c. V, 25. occurrit.

§. VIII. Voluimus hæc prolixius aliquanto ex *Abarbenelis* mente proponere, ut appareret, quanto molimine nihil egerit Judæus. Etenim si vel maximè ea omnia, quæ subtiliter magis quam solidè hæctenus ab ipso disputata sunt, admitteremus, & *Hoseam* pariter ac *Amosum* post *Esaiam* demum vaticinatum esse concederemus (quamvis ipse *R. Abarbenel* non satis hac in parte sibi constituisse videatur, dum alibi expressè scribit: (x) שהיו צימי עיטו יואל כהן גדול *quod Uzie tempore Joël fuerit Sacerdos summus, Hoseas autem, Amos & Esaias Prophetae,* præponendo sic *Hoseam & Amosum Esaiæ*, quod de *Hosea* cum primis etiam exigunt accuratissimi Chronologi atque Philologi tantum non omnes (y) ea potissimum

simum

simum ratione permoti, quod *Hoseas* non tantum tempore Uzix, sed & Jerobeami II filii Joasi, qui quidem simul cum Uzia, sed tamen ante Uziam quoque regnavit, vaticinari cœperit, unde etiam *Hoseam* Prophetarum omnium longissimè munus Propheticum sustinuisse colligunt) licet, inquam, hæc omnia *Abarbeneli* concederemus, quid quæso hoc ipso obtineret? quid verò aliud, quam ut magnas se egisse nugas ostenderet? suppetunt ilicet nobis exempla alia, quibus Propositionis Majoris infringere possumus Universalitatem.

(x) Præf. in Libb Reg. fol. 189 col. 4. edit. Lips. secutus hac in parte, ut ipse hoc testatur, Historiam Scripturæ, & Librum imprimis Chronicorum, & eorum quæ Sapientes p. m. in Seder Olam tradiderunt; cum nullum sit dubium, quin ipsi Libros Chronicorum Regum Juda & Regum Israël, adhuc possederint, unde Traditiones suas haurire potuerint. (y) conf. Seder Olam Zuta à Joh. Mayer. cum Versione latina & doctissimis Annot. edit. Amstelod. 1699. p. 104 & 971. R. David Ganz in Zemach David cit. Mayer. l. c. p. 993. fin. Hieron. in Hof. c. 1. Seth. Calvis. Op. Chron. ad Ann. Mund. 3152. coll. cum Ann. Mund. 3192. Huet. Demonstr. Evangel. l. c. pag. m. 483. Lightfoot. Harm. V. T. Opp. T. 1. p. 92. seq. ubi simul elegantem observationem de tribus *Hoseis* addit.

§. IX. Prodeat hic præ cæteris in medium *Propheta Jonas* filius Amithai, qui à Judæis & Christianis omnibus (si forte LXX Interpretes, Authorem Libri IV Esræ, Eusebium, Pseudo-Epiphanium & Pseudo-Dorotheum sextum ipsi locum tribuentes (z) excipias) quin ab ipso denique *Abarbenele* quinto inter Prophetas minores loco collocatur, & non *Hosea* tantum & *Amoso*, sed & *Joeli* postponitur, quem tamen sine dubio tempore diu antecessit. Licet enim neuter Prophetarum tempus, quo præcisè munere suo functus fuerit, in Prophetiis suis annotaverit, & de *Joelis* cum primis ætate maxima inter eruditos agitetur controversia, dum alii teste *R. Salom. Jarcho*, *Kimchio* & *Ganzio* ad Jorami utriusque tempora eum referunt, quorum alter circa Annum Mundi MMML Patri suo Josaphato in Regno Judæ, alter verò quinque annis ante, Anno vid. MMMXLV fratri suo Achasix in Regno Israël successit: (a) alii verò *Miche* coætaneum facient, utpote à quo *Cabbalam* acceperit; (b) ex quâ incertâ *Joelis* ætate factum etiam esse Doctiss. *Huetius* existimat, ut in Codicibus Hebraicis & Hieronymianis enarrationibus *Hoseam* sequatur *Joël*, quartum verò inter XII Prophetas locum Græcæ editiones ei tribuant: dubium tamen haud est, quin *Jonas* munus Propheticum

ticum exercuerit, si non ante (c) minimum sub Jerobeamo II filio Joas, Rege Israëlis, adeoque *Hosea & Amoso*, qui sub eodem Rege vaticinati sunt, *ἀνύχου* fuerit, cum 2 Reg. XIV, 25. Prophetia ejus de restituendo termino Israëlis, per Regem Syriæ Hafaël erepto, sub memorato Rege adimpleta legatur. In quæ verò tempora conferendum sit Niniviticum ejus iter, quamvis ex Scripturis certò determinari non possit, communis tamen, longeque plurimorum Patrum atque Interpretum *Clementis Alexandrini, Eusebii, Cyrilli, Augustini, Theodoretii* &c. probata est sententia, illud ad idem fere tempus esse referendum. (d)

(2) Quà de re superius in Procem. (a) conf 2 Reg. I, 17. coll. cum 2 Reg. VIII, 16. (b) ut traditur in Tractat. Juchasin teste Huet. l.c. p.m. 485. (c) quod nonnulli colligunt ex phrasi *בְּיַמֵּי יְרֹבְעָם* 2 Reg. XIV, 25. inde, eum sub præcedente Rege Judæ, Joâ nim. vixisse, consentaneum ipsis videtur. vid. Walther. Offic. Bibl. §. 1016. (d) conf. Huet. l. c. p. 495. & Cl. Lightfoot. Harm. V. T. Opp. T. I. p. 96.

§. X. Neque tamen propterea statim assentimur nugivendulis quibusdam *Judeis*, (e) qui *filium* eum fuisse *viduæ Sareptanæ* putant, quem ad vitam Elias revocaverit; cujus opinionis suæ hanc allegant rationem, quod Jonæ Patri nomen fuisse dicatur *יְהוֹנָתָן* quod *Veritatem* significat; viduam enim post suscitatum puerum dixisse Eliæ: *In hoc ipso cognovi, quod Vir Dei sis, & Verbum Dei in ore tuo יְהוָה Veritas sit*, 1 Reg. XVII, 24. puerum itaque *filium Amitbai* dictum h. e. *filium Veritatis*. Frivolam enim penitus, & cassam hanc esse Judæorum sententiam, in Rabbinicis officinis demum cusam, sapius jam laudatus *Huetius* inter alia exinde ostendit, quia locorum situs repugnet: nam Sareptanæ viduæ filium Sareptanum & ipsum fuisse par esse credere, Scripturam autem Sacram *Jonam de Gath Chepher* prodiisse tradere 2 Reg. XIV, 25. cujus situm accuratè indicet *Hieronymus* (f) non longè à Saphori, quæ Diocæsarea etiam appelletur, versus Tiberiadem, in Tribu Zabulonitide, ubi & Jonæ sepulchrum sua ætate ostensum fuisse scribat, nonnullosque carpat, qui in alia Geth, Lyddæ sive Diospoleos proximâ natum eum & conditum vellent, Geth illam cum Geth Chepher, Diospolin cum Diocæsarea permiscentes.

(e) Quam Sententiam etiam Epiphanius tribuit *Sixt. Senens. B.S. Lib. I. p.m. 18.*

(f) Procem. Comment. in Jonam.

§. XI.

§. XI. Quod verò deinde *Joëlem* attinet, fatemur equidem, nullibi in totâ Scriptura expressam temporis, quo docuerit, mentionem fieri; post deportatas tamen à Salmanassare X Tribus eum docuisse, & Prophetiam suam consignasse demum, ex eo non postremæ authoritatis Viri (g) colligunt, quod suas conciones ad solum *Regnum Juda* dirigit, nullâ factâ *Regni Israëliti* mentione [nisi eatenus tantum, quatenus hostibus ejus in valle Josaphat aliquando iudicium atque exitium minatur] (h) facturus sine dubio, si *Regnum Israëliticum* eo tempore penitus excisum nondum fuisset: neque enim perversitatem *Israëltarum* indictam prætermitturum Prophetam veritati esse consentaneum. Quæ sane Magnorum Virorum conjectura minimè videtur esse contemnenda. Etenim si Prophetarum omnium, quotquot ante captivitatem Assyriacam vaticinia sua edidisse ex Sacris literis *indubitato* novimus, monumenta pervolvimus, deprehendemus, neminem illorum contra unum *Regnum* tantum, sed omnes, eodem scil. Spiritu actos, contra utrumque simul, quamvis non eodem semper modo, nec eadem prolixitate adhortationes, increpationes ac comminationes suas de futuro excidio atque captivitate direxisse. De *Esaia*, *Hosea* ac *Amoso*, quippe qui eodem ferè tempore, & sub iisdem Regibus muneri suo præfuerunt [prout ipsi hoc testantur in Proœmio Libris ipsorum præfixo] res manifesta est, & prolixâ probatione haud indiget. Utut enim *Esaie* potissimum cum *Judæis*, & *Judæorum* hostibus *Babyloniis*, *Philistæis*, *Moabitis*, &c. duobus verò posterioribus cum *Israëlitis* negotium intercesserit, tantum tamen abest, ut alterius *Regni* planè fuerint obliti, ut potius *Esaiam* non simplici vice *Israëlitas* (i) *Hoseam* verò ac *Amosum* *Judæos* concionibus suis acriter perstrinxisse videas. (k) Nec magis id de *Micha*, qui sub *Jothamo*, *Achaso*, *Ezechia* Regibus *Juda*, paulo ante captivitatem X Tribuum munus Propheticum sustinuit, in dubium vocari potest, cum ipsemet in primo statim Libri sui commate expressis verbis asserat, hanc, quam mox editurus esset, Prophetiam, ad *Samaritam* pariter ac *Hierosolymam* pertinere. Scilicet ea utriusque *Regni* erat conditio, ut facillimus ab uno ad alterum daretur transitus, & ea etiam *Supremi Numinis* erat benignitas, ut semper Prophetas excitaret suos, qui utriusque populo delicta sua fideliter exponerent, & ab imminente periculo, quantum in ipsis

cs-

esset, eosdem liberarent. Imprimis verò erga Israëlitas, utut ab ipso maximè averfos, rebelles, idololaticos, imo peccatis penitus immerfos affectum suum plus quam paternum abunde semper declarare voluit, dum nolentibus etiam maximeque invitis Prophetas dare, & tantum non obtrudere haud dubitavit, si fortè à perve sà, quâ incedebant, viâ eos retrahere, & ad se attrahere iterum posset. Luculentum & memorabile hujus rei exemplum in *Amoso* habemus; qui cum ab Amazia, Sacerdote Bethelis admoneretur, ut vitæ suæ consuleret, & in terrâ Judaicâ potius, quam in Bethele vaticinia sua egeret, impavido prorsus ac imperterritito animo respondit: *Non fui Propheta, ego, nec Propheta filius, sed armentarius, & collector Sycomorum: at accepit me Jehova à grege, dixitq; ad me Jehova; abi, propheta contra populum meum Israëlem. Nunc ergo, audi verbum Jehovæ: Tu dicis, ne propheta contra Israëlem, neq; stilla contra domum Isaaci. Quare sic dicit Jehova: uxor tua in urbe scortabitur, filii autem tui, filiiq; gladio cadent: & terra tua sorte dividetur, tu deniq; super terrâ immunda morieris, & Israël migrando migrabit è terrâ suâ, c. VII, v 12. seqq.*

(g) conf. Huet. l. c. p. 485. VValther. Offic. Bibl. §. 946. (h) c. III. v. 1. 2. 3.

(i) conf. Es. c. IX, X, XVII, XXVIII, XXIX, &c. (k) c. nf. Hof. c. VIII, XII, &c. Amos c. II, VI, XI.

§. XII. Obstare tamen huic asserto nostro videtur, quod *Propheta Jonas* in Libro suo ne minimam quidem Regni Israëlitici, utut ipsius tempore nondum everfi, mentionem faciat: at enim verò, qui cogitaverit, hunc ipsum Prophetam Judaicum quoque Regnum alto silentio præterisse, & peregrino tantum populo, Ninivitis, quibus cum Judæis atque Israëlitis nullum negotium intercessit, Deo sic jubente interitum atque exitium denunciare voluisse, is facilè animadvertet, hoc ipsum nostræ sententiæ nihil quicquam officere, cum nobis impræsentiarum de iis tantum Prophetis sermo sit, qui ante X Tribuum deportationem alterutrum Regnum concionibus suis perstrinxerunt: horum quippe neminem ita de uno Regno vaticinatum esse contendimus, ut alterius planè oblitus fuerit, quin potius omnes propter mutuum utriusque Regni vinculum atque respectum mutuis quoque increpationibus ac comminationibus usos fuisse, constanter asserimus. Nulli proinde dubitamus, quin ipse etiam

Pro-

Propheta *Joël* si non ex instituto, saltim occasionaliter atque incidenter corruptos Israëlitarum mores attigisset, ipsisque captivitatem denuntiasset, si eo, quo vixit tempore, in captivitatem abducti nondum fuissent. Quibus admissis, non potest non cuius esse manifestum, *Jonam* inter ac *Joëlem* maximum temporis intervallum, minimum LXXX annorum intercessisse, adeoque, si *Abarbenelis* admittenda foret hypothesis, *Joëli* merito præmittendum esse *Jonam*, quin ipsum etiam *Amosum*, quippe qui duobus annis ante terræ motum in diebus Uzix, Regis Judæ, & in diebus Jerobeami, filii Joas, Regis Israëlis Prophetiam suam consignasse legitur c. I, 1.

§. XIII. Neque verò hic moramur *Abarbenelis* rationem, qui ex eo, quod ab eodem versu auspicietur *Amos* Prophetiam suam, in quo suum *Joël* concluderat, isto nim *Dominus de Zijon rugiet*, vult colligere, *Joëlem* *Hosæ* tempore & ante *Amosum* vaticinatum esse; (l) Rabbinicum enim hoc esse, sive stolidum atque ineptum figmentum, non solum ex eo perspicitur, quod verba citata in sexto demum ab ultimo versiculo apud Prophetam *Joëlem* reperiuntur, sed & præterea exinde clarum fit, quod pari ratione ac probabilitate dici queat, *Joëlem* ex *Amoso* hæc verba mutuatum fuisse, & iisdem verbis Prophetiam suam claudere voluisse, quibus *Amos* initium Prophetiæ suæ fecerit. Certè, si hæc argumentatio procedit, cur non etiam *Chronicorum Libri* (m) *Libro Esræ* fuerunt præmissi, cum qui in hoc initium, in illo finem constituent versiculi? aut ergo admittere cogetur *Abarbenel*, in *Libris Scripturæ* ordinandis tempus præcisè non observatum, aut quod finis & initii convenientia, in diversis libris nonnunquam obvia temporis differentiam minimè arguat. Nec magis rem conficit *Hieronymus*, (n) propterea *Joëlem* ante *Amosum* vaticinatum esse statuens, quia in *Ebraicis Codicibus* *Hosæ* subnexus sit *Joël*; quibuscunque autem *Prophetarum Libris* temporis nota non sit præfixa, illos ad ea tempora esse referendos, quæ in *Libro* proximè præcedente annotata sunt: id enim adhuc in quæstione est, & à nobis quam maximè negatur. Sive enim dicas in *Libris Prophetarum* ordinandis tempus esse observatum, sive dicas, *Libros Prophetarum*, temporis nota destitutos, ad ea tempora esse referendos, quæ in *Libro* proximè præcedenti annotata sunt, idem omnino dicis. Majorem probabilitatis speciem præ se ferre videri posset argumentatio *Sixt.*

Senensis, (o) qui *Joëlem* sub *Joramo*, filio *Achabi*, Rege *Israëlis* floruisse, ac vaticinia sua promulgasse ex eo colligit, quia famem septem annorum [cujus mentio fit 2 Reg. VIII, 1.] & prædixerit, & ipse expertus sit, (p) quâ ratione ipsi *Elisæ* coætaneus statuendus foret: modo probare nobis *Sixtus* posset, quod ad notabilem illam famem, *Jorami* tempore ortam, præcitè hic respectus habeatur.

(l) conf. Præfat. in XII Prophet. Min. (m) ultimo alias à *Judæis* loco collocati. (n) Præf. in XII Prophet. & Præfat. in *Joël*. & Comment. in *Joël* c. I, t. (o) B. S. p. m. 17. (p) vid. *Joël*. c. I, 4.

§. XIV. Sed quid attinet huic exemplo diutius immorari, cum *R. Abarbenel* opportunè satis nobis ipse aliquod suppeditet de *Prophetâ Obadia*, quem utut tempore priorem, *Joëli* tamen & *Amoso* postpositum esse, concedit. Postquam enim de *Hosea*, *Joële* & *Amoso* satis prolixè, modo etiam æquè accuratè probasset, eosdem secundum temporum ordinem fuisse dispositos, ad *Obadiam* tandem delatus, Prophetarum ordinem hic interruptum esse expressis verbis asserit, scribens: *והאמת נבואת עובדיה לא נכרה אחריהם כפי סדר הזמן* *verum Prophetia Obadia haud subjuncta iis [Joeli & Amoso] fuit secundum ordinem temporum.* (q) Non jam cum *Cl. Huetio* (r) aliisque in arenam descendemus, multumq; disceptabimus, utrum *Obadias*, *Hoseæ*, *Joëli* & *Amoso* æqualis fuerit, nec ne, cum ipsemet hujus ætatem summè controversam esse, & satis amplum conjecturis quidem patere locum, firmæ verò ac certæ assensionis vix quidem exiguum confiteatur, (s) liceat nobis impræsentiarum ex concessis cum *Abarbenele* disputare, & exemplo ab ipsomet suppeditato Majorem ejus Propositionem infringere, quæ in *Libris Scripturæ S.* ordinandis temporis habendam esse rationem volebat.

(q) Præf. in XII Prophet. Min. (r) l. c. p. 490. Sententiam quoque hanc amplexus est *Cyrillus* Præfat. in *Obad.* (s) conf. etiam *Aben-Efram* in Comment. super *Obadiam*.

§. XV. At verò, ne sibimet ipsi obesse videatur *Abarbenel*, statim duas addit rationes, quare *Obadias* tempore licet prior, *Joëli* tamen & *Amoso* fuerit subjunctus, tum quod in eodem argumento occupatus fuerit, in quo *Joël* atque *Amos* Prophetiam suam terminaverint, *Edomi* videl. ruinâ, tum etiam quod *Profelytus* fuerit, qui proinde *Vatibus* *Israëlis* atque *Judæ*, ex benedicto illo Domini semine oriundis, minus rectè fuisset præponendus. Verum quod primam
istam

istam rationem attinet, meritò hic *Abarbeneli* reponi posset illud, quod is antea Talmudistis oggererat, מה הכרח שיסרך חרצן אדום לחרצן אדום *quid opus est, ut desolatio Edomi cum desolatione Edomi jungatur?* Siccine ergo, quod in aliis improbaverat, jam ipse committere non dubitavit *Abarbenel*? aut an ulla ratione est probabile, eum, qui Prophetarum monumenta digessit, desolationis præcisè Edomitaram rationem habuisse, & quem in reliquis Prophetis omnibus tam studiosè observaverat, propter aliqualem argumenti convenientiam in unico *Obadia* temporis turbasse ordinem? præsertim cum in *Amosi* Prophetia vel verbulo saltim & obiter quasi Idumæorum mentio injiciatur? (t) Et quid de alterâ istâ ratione dicemus? Profecto, si, quod res est, fateri velimus, non videtur hic Judæus serio egisse, sed ingenio tantum suo aliquo modo lusisse. Quonam enim argumento, quave veritatis specie nobis persuadebit, *Obadiam* ex Idumæa gente fuisse oriundum? an? quia solos Idumæos libello suo perstringit, propterea ipse Idumæus est? vana hæc est, ac prorsus inanis conjectura, cum hac ratione etiam *Propheta Jonas* dici posset *Ninivita*, qui tamen de prosapia suâ quæsitus semetipsum expresse עברי *Hebraum* vocat. (u) Fac tamen, *Obadiam* fuisse Idumæum, gentisque suæ repudiatis ritibus ad Hebræos transisse; an propterea postponendus statim erat *Joëli* & *Amoso*? minime gentium: imo verò, dum *Obadias* dignus fuit habitus, per quem vaticinia sua ederet Supremum Numen, non minori jure primum sibi vindicare locum poterat, quam reliqui Prophetæ omnes, utut digniore ipso prosapia oriundi. Et ut compendium tandem verborum faciamus, si ei, qui Prophetas in ordinem redegit, ex *Abarbenelis* sententia integrum fuit, propter rationes ab ipso allatas, *Obadiam* postponere illis, qui tamen ipso tempore posteriores fuerunt; quidnî eidem quoque licuisset *Jeremiam*, si non ob easdem, saltim ob alias rationes, nobis fortè ignotas, præponere *Esaie*, tempore licet ipso multo priori?

(t) c. IX, 12. (u) c. I, 9.

§. XVI. Atque ita sufficienter hæctenus contra *Abarbenelem* evictum esse existimamus, quod in Libris Prophetarum ordinandis temporis præcisè ratio habita haud sit, sed quod ordinis hujus Author [quisquis tandem ille fuerit] suâ libertate hæc in parte fuerit usus,

imitatus sine dubio ipsos Scriptores Sacros [interque eos hunc, de
cujus Prioritate potissimum hic disputamus, *Jeremiam* (x)] in quo-
rum monumentis temporum ordini, capitum series minimè respon-
det, sed ea, quæ posterius gesta, frequentissimè præponuntur iis, quæ
secundum temporum ordinem alias forent præmittenda, & vice ver-
sa. Nempe sic decuit Viros non rationis humanæ dictata sequen-
tes, & seriem rerum cogitate texentes, sed divino impulsos motu ac
de cælo afflatos, & sacro, si ita loqui fas est, furore correptos! (y)
Quemadmodum igitur facilè largimur *Abarbeneli*, aliquos Scriptu-
ræ S. libros secundum temporum rationem fuisse digestos, quo spe-
ctant imprimis illi, quos superius probationis loco adduxit, *Josue* vi-
del. *Judicum*, *Samuelis* & *Regum*; ita negamus, id in omnibus vel
revera observatum esse, vel necessàrio etiam observari debuisse, quin
ex ipso potius *Abarbenele* luculenter ostendimus, Prophetarum or-
dinem in *Obadiâ* reapse fuisse interruptum, quod nobis impræsentia-
rum contra *Abarbenelem* sufficere potest.

(x) conf. Origen. in Epistol. ad African. & Hieronym. Præfat. in Jerem.

(y) vid. August. l. 3. de Doctrin. Christ. c. 36. Huet. Demonstr. Evangel. l. c.
p. m. 438. seq. Glass. Phil. S. Lib. IV. Tr. 2. Observ. 28. 29. p. m. 925. seqq. &
Cl. Lightfoot. Præfat. Harmon. V. T. præfix.

§. XVII. *Alterum Abarbenelis Argumentum*, quo is primum
Esaie locum vindicare conatur, à splendidâ ac illustri ejus Profapia
est desumptum, quâ is non *Jeremiam* tantum & *Ezechielem*, sed &
reliquos Prophetas in universum omnes longissimè antecedit. Ita
enim pergit argumentando: הנביא השני הוא חסות הסועל רל מעלת
ישעיהו בן חמוץ בעמנו ויחוס ומסתתו על כל שאר הנביאים וכו' ואך אם
כן ספר נבואת ישעיהו יהיה מאוחר לספרי נבואות שאר הנביאים שלא היו נבואת
*Altero ratio ab ipso Authore est petita, à digni-
tate videl. ipsius Esaie, filii Amoz, & illustri profapia, familiae ejus, qua
is reliquos Prophetas omnes antecellit &c. Eccur igitur Liber Prophetiae
Esaie postponendus, foret Libris prophetis reliquorum Prophetarum,
qui ex tam illustri profapia ac familia non fuerunt oriundi? Quod
argumentum iterum in formam redigi posset hunc in modum: Qui-
cunque Prophetarum illustri profapia reliquos Prophetas omnes an-
tecedit, ejus etiam Scripta Scriptis reliquorum jure meritoque præ-
poni debent: Atqui Esaias illustri profapia reliquos prophetas omnes*

mnes

mnes antecedit. E. Esaiæ Scripta Scriptis reliquorum jure meritoque præponi debent. *Nexum Propositionis Majoris* variis Scripturæ S. exemplis illustrare ac confirmare nititur, v. g. quod ex omnibus filiis Jacobi solum Judam ad principatum Deus elegerit, ita ut familia ac tribus ejus dignitate atque gloria superaret reliquas tribus omnes; ideo enim præcepisse Deum, ut tribus Judæ castra sua versus orientem poneret Num. II, 3. primoque loco proficisceretur c. X, 4. Jud. I, 1. 2. &c. quod in Parabola Jothami filii Gideonis, arbores Regem electuræ summam potestatem oleæ primum detulerint, eam sine dubio ob rationem, quia arboris hujus fructus essent præstantissimæ, ac durissimæ Jud. IX, 8. seqq. quod Nebucad-Nezar Aspanaso, Eunuchorum Præfecto, demandaverit, ut ex captivis Israëlitis præ cæteris ipsi seligeret juvenes ex Semine Regio prognatos; & quæ sunt ejusmodi exempla coacta alia, quibus hic adducendis supersedemus. *Minorem Propositionem* de illustri Profapiâ Esaiæ probat *partim* ex *Tract. Talm. Megilla c. 1.* ubi R. quidam *Levi* expressis testetur verbis: דבר זה מסורת בריתנו מאבותינו אמן ואמנים אמי הוּ
Hanc rem per Traditionem accepimus a Patribus nostris, Amozum [cujus filius Esaias dicitur] & *Amaziam* [Regem Judæ] *fratres fuisse; partim* ex heroico ejus Spiritu, quem in comminationibus atque increpationibus plerumque exseruerit, adeo *ut animosus fuerit instar leonis, qui non expectet virum, nec præstoletur filios hominis* Mich. V, 6. *partim* denique ex verborum svavitate, ac orationis elegantia, quæ in sermone Regum atque Principum potissimum esset conspicua; hinc dixisse etiam Rabbinos שישיבו במראה אשר ראה על נכר בשנת מות המלך עזיבו היה דומה לכן כדן ויחזקאל במראה אשר ראה על נכר כשר *Esaiam in Visione, quam vidit in anno mortis Regis Ufia, similem fuisse urbano, Ezechielem verò in visione, quam vidit ad fluvium Cebaris, similem fuisse pagano.* Ex quibus omnibus non posse non liquere, Esaiam ex raulto digniori ac illustriori profapiâ fuisse oriundum *Jeremiâ & Ezechiele*, quorum ille מן הכהנים אשר מן בני הכהן בענתור *ex sacerdotibus, qui in Anathoth, hic verò מן בני הכהן à Buzi sacerdote tantum fuerit ortus, qui proinde ad tantum dignitatis gradum haud ascenderint.* Imo verò dummodo Esaiæ sua constet excellentia ac prærogativa, de duobus Prophetis reliquis factis abjectè loqui non verecundatur, dum eos per contemptum quasi

vocat עניים מרודים נזוים וטפלים *pauperes, contumaces, spretos at- que humiles.*

§. XIX. Sic ergo accuratè admodum argumentum suum alterum probasse, ipsamque rem acu quasi tetigisse sibi visus fuit noster sive Lynceus sive Cœcilius, scilicet ut Hebræi dicunt כמותן אכסע זעין *sicut indens digitum in oculos:* & quid mirum adeo, quod in fine argumenti iterum ingeminet illud, quod in initio ac medio ejusdem sæpius jam inculcaverat: אם הנה נחמת נחיים מיתם לא יקדמו לו אף כי *Si igitur illi [Jeremias & Ezechiel] vi- vi non precessuri fuissent Esaiam, quanto minus post mortem ejus Libri ipsorum ejus Libro erunt preponendi?* At nos, uti in priori Abarbenelis argumento unam tantum negavimus Propositionem Majorem, ita in hoc altero utramque præmissarum admodum infirmam esse existimamus.

§. XIX. Quod enim primò Minorem ejus Propositionem attinet, nondum satis evictum ab Abarbenele putamus, Esaiam nobiliori ac splendidiori loco natum, quam quidem Jeremiam atque Ezechielem. Horum uterque ex familia sacerdotali ortum se testatur, (z) iste quidem à Patre Hilkia, hic verò à Buzi, utrisque sacerdotibus: at quantum dignitatis ac nobilitatis olim documentum fuit, ex sacerdotali semine esse prognatum! Levitæ enim, ex quorum tribu sacerdotales familiæ erant, ex omnibus tribubus Israël ab ipso Deo ad ministerium ipsius sanctum selecti fuerunt; ex Levitis autem selectissimi erant sacerdotes. Ut taceam Hebræos nonnullos, & cum ipsis plures alios, Paulum Burgensem, Maldonatum, Sixtum Senensem, Garciam de Galarça. (a) in illà esse opinione, Jeremiam insuper filium fuisse summi sacerdotis Hilkie, cujus progenies i. Par. VI, 30. adducatur. Quicquid tamen de eo sit, sat utique nobilitatis fuit, quod ex sacerdotali familiâ eum ortum suum habuisse certo constet. (b) Tantum igitur abest, ut Jeremias atque Ezechiel spreti ac humiles dicendi, ut potius propter nobilem ipsorum progeniem omni honore ac reverentia fuerint dignissimi.

(z) Jerem. I, 1. Ezech. I, 3. (a) teste Sanctio Proleg. 1. qui tamen ob duplicem rationem ipse dissentit. (b) vid. Sebast. Schmid. Epistol. Dedic. præfix. Comment. ejusd. in Prophet. Jerem.

§. XX. Undenam verò Esaias? Dicit quidem Abarbenel

ex semine Regio: at unde illud probat? Traditio Talmudistarum, ad quam hic inter alia Judæus provocat, id nondum evincit. Quod enim ibidem dicitur, *Amozum & Amaziam* fratres fuisse, mera tantum conjectura est, & ex Scripturis nullo idoneo confirmari argumento potest. Agnovisse id ex ipsis Judæis videtur *R. David Kimchi*, quando is de genealogia Prophetæ *Esaie* differens ita scribit (c) לפי מה שכתב רבינו חנניאל *Ignoramus genealogiam ejus, è quâ tribu sit, nisi quod Rabbini nostri p. m. traditione acceperint, Amozum & Amaziam fratres esse.* Et miror ego hic non paucos *Viros Clarissimos*, qui aliquali fortè nominis convenientiâ decepti *Amozum & Amaziam* fratres fuisse existimarunt, non secus atque eodem fundamento subnixi alii *Esaïam* Prophetæ *Amosi* filium fuisse sibi ac aliis persuaserunt, (d) quem tamen errorem rectè inter alios taxat, simulque erroris causam ostendit Celebris quidem Interpres antiquus *Esaïæ* *Procopius* scribens (e) λέγεται δὲ μὴ τὸν ἕνα τῶν δώδεκα ἔσθαι τὸν πατέρα τυγχάνειν. Ἐκείνῳ γὰρ Ἀμὼς ψιλῶς λέγεται, καὶ ἐρμηνεύεται, λόγῳ σκληρῶς: ἔδὲ ἔσθαι, δασύνεται καὶ σημαίνει τελέωσιν ἢ δύναμιν καὶ ἰσχὺν: *Ajunt, Esaïæ patrem non esse è Duodecim. Is enim Amos tenuiter pronuntiatur, & exponitur: Sermo durus: at Pater Esaïæ aspiratur & significat perfectionem, & potentiam & robur: cujus tamen mentem non satis rectè assecutus videtur Doctiss. Huetius* (f) quando *Procopium* hic falsa ratione, id quod verum erat, probare dicit, cum litera *Υ* nomini *Amosi*, unius è XII præfixa validissima sit Hebraicarum omnium aspirationum, tenuissima verò sit *N*, quæ præfixa est nomini *Patris Esaïæ*. *Procopium* enim hic non tam ad literas initiales *N* & *Υ*, quam ad finales potius *Υ* & *Ω* respexisse, probabile est, quarum hæc nomini Prophetæ subjuncta, leniorem utique pronunciationem requirit, quam illa, qua *Patris Esaïæ* nomen terminatur.

(c) in Comment. super Esaïam. (d) ut *Clem. Alexandr. Strom. l. 1. Pseud-Epiphan. de Vita Prophetar. in Amos. & multi alii.* (e) in Comment. ad Es. Cap. I, 1. Hieron. itidem in Cap. I. Es. nec non in *Procem. Comment. in Amos. August. l. 8. de C. D. c. 27.* *Cyrillus Præf. Expos. in Amos.* (f) *Demonstr. Evang. Prop. IV. p. 430.*

§. XXI. Ponamus tamen, etiam Regem *Amaziam* habuisse fratrem, qui *Amoz* fuerit appellatus, dubium tamen adhuc remanebit, utrum *Amoz* iste fuerit idem cum eo, cujus filius *Esaias* dicitur; quasi verò eo tempore plures idem sustinere nomen non potuissent? Certè si *Esaias* ex tam illustri profapia fuisset ortus, nullum est dubium, quin ulterius explicata stemmatis ejus series, atque *Amazie* expressa facta fuisset mentio, uti quidem in Propheta *Zephaniâ* id observare licet, cujus Prophetiæ hoc lemma præfixum esse videas: *Verbum Domini, quod factum est ad Zephaniam, filium Cusi, filii Gedalje, filii Amazje, filii Hiskie*, quem proinde de tribu Juda oriundum, & *Hiskie*, Regis Judæ abnepotem fuisse, ratus est Celebris Judæus *R. Aben Esra*, idque Cl. *Huetio* iudice non ineptè, cum non solum tempora exactissimè convenient, sed & nulla videatur fuisse causa alia, cur initio Libelli hujus non Pater solum *Zephania* fuerit appositus, sed explicatâ præterea stemmatis serie genus ab hoc Capite contra scriptorum sacrorum Prophetarumque omnium morem sit repetitum, quam ut Clarissimo & Sanctissimo Parente prognatum fuisse Prophetam appareret, neque nobilitatis tam præclaræ & illustris honore fraudaretur.

§. XXII. Nec magis etiam duo *κελινεα* reliqua, ab *Abarbenele* adducta nobilem ac Regiam *Esaiæ* profapiam arguunt, quantumcunque etiam roboris iisdem Judæus tribuat. Quamvis enim nemo adeo sit *Φρεναπαλις*, ut non vel ex solo introitu heroicum *Esaiæ* Spiritum, quo in correptionibus ac comminationibus usus est, satis agnoscat, & orationis præterea suavitas ac verborum elegantia ubique transpareat, unde etiam *Syracidi* non immerito *magnus Prophetæ in vaticiniis suis* audit (g): hanc tamen verborum gravitatem ac elegantiam huic Prophetæ ita esse propriam, ut hac in parte nullas Prophetarum cum ipso contendere queat, id verò est, quod maximè negamus. Instituti quidem nostri jam non permittit ratio, ut omnia Prophetarum vaticinia accuratè percurramus, & quæ ubique ferè latent, verborum pondera, ac elegantias eruamus: sufficiat nobis impræsentiarum, de *Jeremia*, tanquam primario Dissertationis nostræ scopo, ostendisse, cum rerum gravitate, verborum vi, ac orationis elegantia nemini Prophetarum, ne ipsi quidem *Esaiæ* cedere. Ipsemet *Abarbenel* quod profundos rerum conceptus spectat

spectat

ſpectat, hunc Prophetam noſtrum reliquis omnibus præferre, & cum maximo Prophetarum *Mofe* (h) contendere non dubitavit. Nam cum latè expoſuiſſet, ex quibus documentis Prophetarum ac ſapientum dignitas atque excellentia potiſſimum innotefceret, profundis videl. rerum conceptibus, pura ac ſuavi verborum elocutione, & recta denique vocum ſcriptione, eaque omnia in ſapientiſſimo Regum omnium Salomone perfectiſſimè locum habuiſſe oſtendiſſet, tandem ad *Jeremiam* [cujus gratia hæc potiſſimum adduxerat] ſe convertens ſcribit: (i) כפי הגדלה בספוריו וכוונותיו יתאר בחמת שהיה הנביא הזה שלם צדקו והשלמות הגשון ה"ל בשלמות נפשו והטוב וקרבתו אל האלהים עד *Quantum ex scriptis ac vaticiniis Jeremiae perspicitur, apparet omnino, quod hic Propheta excellens fuerit in conceptu ac perfectione prima, scil. in perfectione anime sue, in apprehensione, atq; approximatione ad Deum, adeo ut propter dignitatem Prophetiae suae in multis rebus Domino Prophetarum [Mosi] fuerit simillimus.* Quam convenientiam deinde non solum per distincta membra ulterius ostendit, sed & insuper illustri quodam testimonio Rabbinico, ex antiquissimo Libro *Psikta Rabba-thi* desumpto, confirmat, ubi R. quidam *Jehuda*, filius R. Simeonis, locum Deut. XVIII, 18 illustraturus per promissum hic à Deo Prophetam, Mosi futurum similem, nullum intelligendum esse alium contendit, quam quidem *Jeremiam*, ob maximam videlicet, quæ inter utrumque intercedat, similitudinem. Et sanè quod hæc opinio tempore Christi & Apostolorum etiam apud quosdam adhuc invaluerit, non obscure colligimus ex responso Discipulorum, quando hi ad quæstionem à Salvatore propositam τίνα με λέγουν οἱ ἄνθρωποι εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου; inter alia regerunt, ἐπεὶ δὲ εἶπον Ἱερεμίαν (h) quamvis *Cl. Lightfootus* aliam potius hic subesse rationem, & propterea *Jeremiam* solum ex omnibus Prophetis nominatum putet, quia primum inter Prophetas Majores locum obtinuerit (l) quam tamen Magni Viri conjecturam hoc quidem loco nimis coactam esse putamus.

(g) c. XLVIII, 25. (h) quem Judæi alias, Magistrum & Patrem Prophetarum omnium vocant. vid. Hotting. Theſ. Phil. Lib. II. c. 3. Sect. 4. p. m. 568. seq. (i) in Præfat. ad Jerem. col. 1, 2. (k) Matth. XVI, 13. coll. cum Joh. VI, 14. (l) Hor. Hebr. ad h. l.

§. XXIII. Quanto verò in Majestate sensuum profundior

D

Abarbe.

Abarbeneli visus est *Propheta Jeremias*, tanto contra in verbis simpliciorem, & in scriptione minus accuratum judicavit, cum inquit: *Quod verò deinde alteram illam perfectionem, quæ in sermonis ac lingua consistit elegantia, attinet, existimaverim ego, Jeremiam non tam perfectum in structura vocum, ac sermonis nitore, quam quidem Esaiam & Prophetas reliquos fuisse, &c. Similiter, quod tertiam perfectionem spectat, quæ in rectâ & accuratâ scriptione consistit, putaverim, nec in hac perfectum fuisse Jeremiam ob rationem superius à me allegatam, quia videl. adhuc puer fuit, cum Prophetiam suam inciperet. Hinc est, quod non didicerit orthographiam, ac Scripturæ dispositionem, eo quo par erat modo. Equidem non ignoramus, inter alios (m) ipsi etiam Hieronymo (n) stylum Jeremiæ aliquanto simpliciorem, formamque orationis subrusticam fuisse visam. Sed non incommodè Casp. Sanctius: *Sane ego, inquit, hic nihil rusticum & incultum video, (o) & Sebast. Schmidius senex propè septuagenarius: Si Hieronymus in scriptis Prophetæ nostri aliquid rustici & inculti sermonis observavit, fortè stylum eum cum Græcis potius & Latinis scriptoribus contulit, quam Hebræis. Ego namque quando cum scriptoribus V. T. Hebræis comparo, videtur mihi Propheta noster aliquis potius inter Hebræos Cicero, quam Ennius dicendus. (p)**

(m) v. g. R. Jacob Ben Chajim Præf. in Bibl. Venet. Cunæum de Rep. Hebr. p. 456. Christoph. à Castro Jesuit. Complut. Isag. ad Prophet. c. 9. (n) in Prologo suo. (o) integra Sanctii verba, aurea planè, & nostram sententiam mirificè illustrantia vid. sp. B. Joh. Conr. Dannhavver. in Hermenevt. S. p. 356. (p) in Epist. Dedic. ad Comment. in Jerem.

§. XXIV. Dignum sanè Jeremiâ nostro elogium! Etenim si penitius tantum aliquanto scripta ejus inspicere dignabimur, tanta ubique vocum elegantia, tanta orationis gravitas se nobis offeret, ut mirari satis vix possimus. Quod enim alias tanquam singulare in *Esaiâ* suspexit R. *Maimonides*, (q) eum, quando de populi alicujus magni interitu loquatur, frequentissimè adhibere has loquendi formulas: *Stellas cecidisse, cælos interiisse, & contremiscere, solem obtenebratum, terram vastatam ac commotam esse &c.* idem omnino, aut minimum simile quid, in Prophetâ nostroprehendemus. Compellat is creaturas inanimatas, cælum atque terram? compellat quoque noster, & vehementius etiam compellat, ter post invicem iteratâ voce וְיָרֵן c. XXII, 28. Comparat is hostes
Judæo-

Judæorum cum vento atque aquis vehementissimis terram deturbantibus ac inundantibus? comparat etiam noster c. IV, II. 12. cap. XLVII, 2. Introducitur ab illo Deus cum populo Israëlitico disceptans, iisdemque ingratitude ipsorum gravissimè exprobrans? idem etiam à nostro verbis ponderosissimis ac vehementissimis factum observamus. c. II. v. 5. seqq. Vis solem in meridie occidentem? en c. XV. v. 9. Vin' mœstam terram, ipsosque cœlos tristitia affectos? en c. IV. v. 28. (r) Et quid multis? Si quis Prophetam *Jeremiam perfectum Oratorem* diceret, non multum puto aberraret; adeo enim elegantia, adeo ad gravitatem composita omnia sunt, ut vel nolentem etiam in sui admirationem rapere possint ac debeant. Quod enim de *Lamentationibus* ejusdem in specie judicavit *Sanctius* (s) *illis nihil habuisse antiquitatem gravius, numerosius & sonantius*, idem nos de *Jeremiæ* scriptis in universum omnibus asserere non dubitamus. Nam aut fallor ego vehementer, aut Vir Magnificus Summeque Reverendus Dn. D. *Gottlob Fridericus Seligmannus*, Patronus ac Præceptor noster æterno observantiæ cultu prosequendus [quem Deus quam diutissimè adhuc in splendidissimum totius orbis literati, ac hujus imprimis *Academiæ* ornamentum superesse jubeat!] propter exquisitissimam inter alia *Jeremiæ* eloquentiam, alterum *Lipsiæ* hujus nostræ *Chrysoptomum*, *Job. Benedikt. Carpzovium* innuo, *Jeremiam nostri Seculi*, den theuren *Jeremiam* unserer Zeiten appellavit; (t) imitatur hac in parte, ut ipse Vir Magnificus exponit, fulgidissimum illud sidus *Argentoratense Dannhavverum*, qui *Salvianum Massiliensem* itidem, *Alterum Seculi sui Jeremiam* nominaverat. (u)

(q) in *More Nevochim* P. II. c. 29. (r) Plura exempta suppeditabit *Glass.* in *Rhet. S.* (s) l. c. (t) in *Concion.* ipsius *Funebr.* super locum *Jerem. XV, 19.* habit. hic *Lips.* 1699. d. 30. *Mart.* quæ subjuncta est *T. VII. & ultim. B. Carpzov.* auserlesenen *Trost- und Leichen-Sprüchen.* (u) in *Dedic. seines Schuß-Engels* ferè in med.

§. XXV. Arbitratur tamen *R. Abarbenel*, omnino hic aliqua in *Jeremiâ* se deprehendisse, quæ styli ejus simplicitatem, atque orthographiæ imperitiam arguant, v. g. quod particula *ו* sæpissimè loco *נ* masculinum pro fœminino, & vice versa fœmininum pro masculino, pluralis pro singulari, & singularis pro plurali, Præteritum pro Futuro, & Futurum pro Præterito, &c. in Scri-

ptis Jeremiæ fuerint adhibita; quod ὕστερον πρῶτον ab eodem sapi-
 us commissum, quod in illo plura sic dicta Kri & Ktibh, quam in
 quoquam reliquorum scriptorum sacrorum occurrant. At verò
 dum hæc talia opponit Judæus, turpiter suam ignorantiam dicam an-
 stoliditatem prodit, quod ea, quæ indoli Linguæ S. ac singulari cui-
 dam emphasi adscribenda sunt, Scriptoris imperitiæ tribuit. Certè, si
 ea omnia, quæ *Abarbenel* hic recensuit, sermonis statim impurita-
 tem, ac Scriptionis arguerent ignorantiam, quis quæso Scriptorum
 Sacrorum styli elegantiam atque exactam orthographiæ cognitio-
 nem jure sibi vendicare posset? cum in omnibus, ipsomet *Abar-
 benel* non diffitente, tale quid deprehendatur? Et si vel maxi-
 me in *Jeremia* hæc frequentius, quam in reliquis Scriptoribus
 Sacris occurrant, sufficit tamen, quod in iis minimum locis, ubi oc-
 currunt, apud reliquos quoque Scriptores & in ipso etiam *Esaia*,
 stylum simplicem minusque accuratam scriptionem indicarent,
 quod tamen nemo prudens facilè admiserit. Quod verò insuper
 pueritiæ Jeremiæ ea omnia adscribenda esse putet, id puerile est,
 cum, quod ætati ejus decessit, per attactum divinum abunde supple-
 tum fuerit (x). Ipsum *Abarbenelem* suarum nugarum tandem pu-
 duisse, non obscurè colligimus ex eo, quod non solum sub fi-
 nem ferè Præfationis suæ scribat: *Possumus etiam dicere, quod in
 Sancto Libro Legis, Prophetarum ac Hagiographorum nihil quicquam
 scriptum sit per errorem, sed quod ipsi Prophetae voces omnes à commu-
 ni scribendi ratione aliquo modo deslectentes summo studio, summa-
 que prudentiâ propter certas rationes, nobis ignotas ita scripserint;
 sunt enim illa ex secretis Legis atque Prophetia, noster autem intelle-
 ctus imbecillior est, quam ut ea apprehendere queat.* Sed & alibi (y)
 non ineleganter causam horum omnium exponit, inquiens: *Obser-
 vabis etiam in Scriptis Prophetarum omnium, quod frequentissimè de
 populo loquantur nunc in genere masculino respectu אנו, nunc in gene-
 re feminino respectu אננו, nunc in numero singulari respectu totius
 populi collectivè sumti, nunc in plurali, respectu multorum hominum
 in populo existentium: nunc loquantur in personâ secundâ, nunc in
 personâ tertiâ, quia hæc libere adhiberi possunt in doctrina atque in-
 crepatione prout loquenti visum fuerit: nunc efferant ea, quæ adhuc
 futura sunt, in Præterito, ac si ipsimet in Prophetiis suis illa tanquam
 revera*

revera jam facta vidissent: nunc verò de rebus præteritis loquantur in Futuro, ubi tunc Futurum stat loco Præsentis, non secus ac si ipsi eo, quo hæc facta sunt tempore, vixissent. Fac verò etiam, Prophetam *Esaïam* sublimiori, graviore ac elegantiori sermone in Prophetiis suis usum fuisse, quam quidem reliquos Prophetas omnes, inde tamen nondum sequitur, eum digniorem quoque iis profapiam agnoscere, cum ipsa experientia abunde testetur, privatos nonnunquam homines, humili loco natos, quod styli gravitatem ac elegantiam spectat, ipsos etiam Reges ac Principes superare, quo spectat illud Salomnis: *Væ tibi terra, cujus Rex puer est!* (z)

(x) c. I, 7. seqq. (y) in fin. Præfat. ad Es. (z) Eccles. X, 16.

§. XXVI. Quod verò *deinde* ad Propositionem Argumenti *Abarbenelis Majorem* attinet, æquè infirmam eam, ac *Minorem* judicamus. Quid enim illustris profapia ad Scriptorem Sacrum qua talem? Deus enim, ut in Prophetis eligendis ad ordinem, statum ac nobilitatem non attendit, ita in ipsis quoque Prophetis ordinandis nulla eorum necessario haberi debet ratio: quin potius uti omnium Librorum Sacrorum una eademque causa principalis est, cujus folius internâ illuminatione, afflatu & revelatione sancti Dei homines & locuti sunt, & ea, quæ hodiè possidemus, literis consignarunt, ita omnium unam eandemque esse authoriatem, neque alterum altero præstantiorem Librum esse res ipsa admittit. (a) *Prophetia Amosi*, infimæ licet hic fortis esset, armentarius, Sycomoros velligans, nulli tamen Prophetarum fortis eminentioris v. g. *Zephaniæ* postposita propterea est. Probationes *Abarbenelis* à prærogativa tribus Judæ, olei &c. desumptæ, nimis longè petitæ sunt, & ad præsens negotium minimè spectant. Quæritur enim hoc loco tantum, quo ordine Libri Sacri & Prophetici collocandi veniant? non verò, quænam prærogativa uni atque alteri nonnunquam ex alio quodam fundamento in Scripturâ tribuatur. Quod si verò hac in parte morem Scripturæ Sacræ tam strictè observandum esse putet *Abarbenel*, cur non etiam in Prophetis collocandis temporis prioritatem aliquando negligendam esse statuit, cum ipsam quoque Scripturam in recensendis historiis ac vaticiniis sæpissimè temporis nullam habere rationem sciat?

(a) conf. B. Frischm. Dissert. cit. c. II. §. 29.

§. XXVII. *Tertium Abarbenelis argumentum*, quod is in favorem Prophetæ *Esaia* adducit, כַּזֹּרוֹת כְּזֹאוֹת יִשְׁעֵיהֶוּ וְזֹרוֹת כְּזֹאוֹת שֶׁאֵר הַנְּבִיאִים à formâ *Vaticiniorum Esaia & reliquorum Prophetarum est petitum*. Etenim si *R. Abarbeneli* fas est credere, huic Prophetæ multo excellentiori atque eminentiori gradu quam quidem *Jeremia* & reliquis Prophetis omnibus vaticinia obtigerunt: hinc tale iterum ex ipsius mente necti argumentum posset: Cuicunque Prophetarum multo eminentiori modo, quam reliquis Prophetis omnibus vaticinia fuerunt revelata, is jure meritoque aliis etiam præponi debet: Atqui *Esaia* &c. E. De Propositione Majore parum sollicitus Judæus, statim progreditur ad probationem Propositionis Minoris, urgens imprimis discrimen illud, quod inter חֲלוֹם *somnium* & מְרֵאָה seu מַהֲזֹרֵה *Visionem* tanquam binos revelandi modos, ab ipsâ Scriptura propositos, & à *Magno Maimonide* confirmatos, intercedat: quorum ille utpote non adeo excellens, *Jeremia* cum Prophetis reliquis, hic vero, tanquam eminentissimus *Esaia* cum *Mose* fuerit communis.

§. XXIX. Sed negamus hic iterum utramque tam *Majorem*, quam *Minorem Propositionem*. Quænam enim quæso consequentia? hic vel ille Propheta per excellentiorem revelandi modum vaticinia sua accepit, E. is reliquis statim Prophetis fuit præponendus? quasi verò ex revelandi modo Libri alicujus Sacri dignitas æstimanda veniat? Non incongruè *B. Frischmuthus* contra eundem *Abarbenelem* Libris Mosaicis propterea primum locum esse assignatum contendentem, non ideo, quod Scriptor ille reliquos Sacros Authores antiquitate immanè quantum superaret, neque etiam ob illam prærogativam, quam cum Deo familiariter agendo nactus esset Vir divinus, sed quod longè eminentiori modo quam alii Sacri Libri Mose dictati & ab eodem scripti fuerint, disputans, negat propterea Scripta Mosaica ut Scripturæ partem ob revelationis modum digniorem primum inter Libros sacros locum recepisse, cum prærogativa ac dignitas Libri non tam modo revelationis, quam ipsius revelantis auctoritate metienda sit, qui cum ubique unus idemq; fuerit, & omnes Prophetas, ne in scribendo fallerent, direxerit inde parem omnium omnino Librorum Sacrorum esse auctoritatem.

§. XXIX.

§. XXIX. *Nec Minor Propositio Abarbenelis procedit. Niti-*
tur enim falsa illâ hypothesi, quasi iste revelandi modus, qui per *Vi-*
sionem fiebat, excellentior atque eminentior fuerit illo, qui in *somno*
obtingebat. Ast uti nos differentiam aliquam inter duos hosce
modos facilè admittimus, ita eminentiam ac prærogativam omnem
negamus. Scriptura, quando duplicis hujus revelandi modi facit
mentionem, diversitatem quidem aliquam, sed nullam *ἰσπερ*,
quæ uni præ altero competat, adducit, sed utrumque potius illi mo-
do, quo se Mosis revelabat à facie ad faciem, opponit Num. XII, 6.

§. XXX. Sed audiamus tamen, quâ ratione *Abarbenel* præro-
gativam unius præ altero probare tentet? *Primò* quidem & ante
omnia ostendit, quomodo & in quibus uterque modus secum invi-
cem convenerit, scil. *tum* ratione causæ principalis, influxum largi-
entis, quæ utrinque eadem fuerit; *tum* ex parte subjecti, facultatis vi-
del. intellectualis cum phantasia conjunctæ, quæ non magis in So-
mno quam in Visione sensibus fuerit orbata; quod ipsum duplici te-
stimonio, altero quidem ex *Maimonide*, altero verò ex *Dan. X, 8. 9.*
petito confirmat. (b) *Deinde* ipsam differentiam, quæ inter utrum-
que revelandi modum intercesserit, exponit, scribens: *Relinquitur er-*
go, quod nulla detur differentia inter Somnum & Visionem, nisi tantum
ratione Dispositionis, qua affectus erat Propheta illo, quo Prophetia ipsi
obtingebat, tempore. Quod si enim esset dormiens, quando Prophetia
super ipsum veniebat, tunc dicebatur חלום somnium; si verò es-
set vigilans, & aliis quibusdam negotiis vacans, cum influxus Prophe-
ticus eum occuparet, tunc ille revelandi modus dicebatur מראה vel
מחזן vel חזון Visio. Atque hinc tandem veram Visionis emi-
nentiam, quam præ somno habeat, arcessendam esse judicat. At-
enimverò dum concedit Abarbenel, nullam esse differentiam inter
duos hosce revelandi modos, nec ratione Causæ Efficientis, nec ra-
tione subjecti, admittere etiam tenetur, quod nulli præ altero præro-
gativa aliqua competat, cum, si quæ esset, illa vel à Deo revelante, vel
à Subjecto recipiente dependeret. Si urget, alteri tamen vigilantibus,
alteri verò dormienti revelationem obtigisse; admitti quidem illud
facile potest; quid verò hoc ad rem? cum ipsemet Abarbenel antea
confessus fuerit, vigilantem æquè ac dormientem in ipso revelationis
actu sensuum usum nullum habuisse.

(b) Ge-

(b) Gemina fere habet August. Steuchius ad Num. c. XII, v. 8. cujus verba satis proluxa & elegantia adducit Cl. Hotting. Thes. Phil. l. c. p. 573. seq.

§. XXXI. Sit tamen etiam *Visioni* aliqua præ *somno* dignitas, nondum tamen obtinebit *R. Abarbenel* id, quod obtinere sibi proposuerat. An enim ullo modo est credibile, *Esaia* quoque non aliquando per *somnum*, & reliquis Prophetis per *Visionem* immediatas revelationes obtigisse? Ita quidem *Abarbeneli* visum fuit: undenam verò illud probat? an? quia in Libro *Esaia* frequentissimè adhibeantur voces וייבא & וייבא nunquam verò [uti nec in Libris Mosaicis] locutiones istæ: *Et factum est Verbum Domini ad me*; vel: *Et factum est Verbum Domini ad Esaia*, quæ in reliquis Prophetis, inprimis in *Jeremia* & *Ezechiele* creberrimè occurrant, & ex *R. Maimonidis* sententia infimum Revelationis gradum arguant? id verò $\kappa\epsilon\alpha\tau\eta\epsilon\iota\omicron\nu$, quantopere etiam ab *Abarbenele* commendatum, non satis universale atque certum esse, multis exemplis, in Concordantiis evolvendis, ostendi posset, si id instituti nostri jam permetteret ratio. (c) De *Propheta Esaia* ipse Judæus locum aliquem suppeditat ex Cap. XXXVIII, 5. 6. ubi dicitur: *Et factum est verbum Domini ad Esaia*, dicendo: *abi Et annuncia Hiskia, sic dixit Dominus Deus Patris tui Davidis, audivi preces tuas, vidi lacrymas tuas: ecce ego addam ad dies tuos quindecim annos.* Sed audiamus, quam lepidam hic *Abarbenel* ratiunculam excogitaverit: Dicit nim. illo fortè tempore somno obrutum fuisse *Esaia*, propter mœrorem, quem ipsi attulerit mors *Hiskia*. Egregiè sanè! Quid? si dicamus, ipsum fortè *Abarbenel*, cum hæc scriberet, gravissimo somno sopitum fuisse: neque enim persuadere nobis unquam possumus, hominem vigilantem tam ineptam rationem excogitare, aut excogitatam oculis atque auribus aliorum exponere potuisse.

(c) conf. interim Ezech. XII, v. 27. Amos I, 1. Mich. I, 1. Obad. I, 1. Habac. I, 1. c. II, 2. Nah. I, 1. &c.

§. XXXII. *Quartum R. Abarbenelis Argumentum* מסר מסר ab illustri Libri *Esaiani* Materia desumptum, ita fortè ex ipsius mente formari posset: Quicumque Propheta plura continet vaticinia consolatione plenissima, quam quisquam reliquorum Prophetarum, is reliquis Prophetis omnibus meritò est præponendus. Atqui *Esaia* &c. E. *Majorem Propositionem* tanquam indubiæ prorsus veritatis

rita-

ritatis nude tantum proponit, de probatione ejusdem cæteroquin-
 parum fellicitus. In *Minore* verò roboranda eo est proluxior, osten-
 dens, *partim* quod in *Propheta Esaiæ* multo plura de futura populi
 Israëlitici liberatione, quam in ullo Prophetarum alio, vaticinia oc-
 currant, *partim* etiam, quod in promittendis Bonis, quibus in liber-
 tate suâ aliquando fruituri essent Israëlitæ, nemo sit *Esaiæ* copiosior.
Prius illud variis modis declarat; [1] quidem provocando ad effatum
Talmudistarum, qui Librum *Esaiæ* כְּסוּמָהּ לְכֹל תּוֹתוּם in consolatione
 occupatum esse dixerint. (d) [2] remittendo ad Librum suum *Masch-*
mia Jeschua, in quo omnia, quotquot in toto Codice V. T. de futura
 Judæorum liberatione contineantur, vaticinia summo studio ab ipso
 fuerint collecta, simulque observatum, quod cum *Bileamus*, *Hoseas*,
Joël, *Amos*, *Obadias*, *Habacuc*, *Zephanias*, *Haggeus* & *Malachias* uni-
 cum tantum, *Michas* duo, *Moses* & *Zacharias* quatuor, *Jeremias* sex,
Ezechiel denique decem ea de re vaticinia ediderint, in solo *Propheta*
Esaiæ XV satis egregia ac perspicua deprehendantur. Unde etiam
 sine dubio in ipsa statim nativitate nomen ipsi fuisse impositum
 יְשׁוּעָה ad indicandum, *tum* quod prædicturus aliquando esset
salutem Domini ac populi libertatem, *tum* quod XV præcisè vatici-
 nia de redemptione futurâ esset editurus. Vocem enim יְשׁוּעָה esse
 nomen *salutis* ac *redemptionis*, ut Psal. L, v. 23. literas verò יְשׁוּעָה in ra-
 tione numerica valere XV. [3] Confirmando hæc ulterius duplici
 testimonio, quod ipse *Propheta* sibi perhibeat c. XLIX, 1. & c. LXI, 1.
 In *altero* isto roborando itidem satis operosus est, & operosior adhuc
 quam in priori, recensendo *XIV Bona*, quæ Israëlitis aliquando even-
 tura *Esaias* promiserit, quorum aliqua saltem in *Prophetis* reliquis
 essent obvia, ex *Esaiæ* insuper maximam partem desumpta, qui proin-
 de minus rectè huic tam illustri *Prophetae* forent præmittendi.

(d) De quo *Talmudistarum* effato supra in §. 2.

§. XXXIII. Uberiorem in *Propheta Esaiæ*, quam in aliis pro-
 missionum ac consolationum contineri farraginem, negari equidem
 non potest, unde non immerito etiam ab *Abarbenele* in Libro antea
 allegato *Maschmia Jeschua*, כְּסוּמָהּ לְכֹל תּוֹתוּם, & à Christianis *Evangelista V. T.*
 vel *Evangelisticus Propheta*, & *Propheticus Evangelista* appellari com-
 muniter solet: (e) Quod verò consolationes ac promissiones istæ ad
 Judæos ac Israëlitas secundum carnem tales, ac per universum orbem

E

ju-

Iusto Dei iudicio dispersos, eo praesertim, quo *Abarbenel*, sibi persuadeat, sensu pertineant, id verò est, in quo Judæum toto, quod ajunt, cœlo aberrare existimamus, cum potiori sine dubio jure spiritualis Zìjon atque Israël hæc talia vindicare sibi possit, quod jam ulterius declarandum foret, nisi hoc argumentum à nostro instituto nimis esset alienum, & ad cathedram Theologicam potius, quam Philosophicam spectaret. Quicquid tamen de eo sit, hoc saltem luce meridiana clarius esse putamus, quod propterea in ordine Prophetarum primus statim *Esaie* locus tribuendus haud veniat, cum Libri Prophetici dignitas non tam ex multitudine consolationum ac promissionum, quam ex divinâ futurorum revelatione aestimanda sit, cujus respectu omnes Libri Prophetici pares, nec unus præ altero dignitatem aliquam aut prærogativam arrogare sibi potest. Quòd verò urget *Abarbenel*, reliquos tamen Prophetas omnes sua ex *Esaia* depromississe, id quidem aliqua ex parte admitti potest, quemadmodum id ipsum variis exemplis comprobavit, indeque simul *ἡμοιοτητα* & *antiquitatem Libri Esaie* ostendit *Cl. Pet. Dan. Huetius* (f) negamus verò, quod ea propter *Vaticinium Esaie* reliquis præponi statim necessario debeat, cum omnium una fuerit causa principalis Deus, qui ea, quæ uni Prophetæ inspiravit, alteri quoque eodem modo, & iisdem nonnunquam verbis pro liberrimâ suâ voluntate communicare potuit, unde ipsi Scriptori S. tanquam Causæ minus principali ac instrumentali nulla prærogativa accedit.

(e) conf. Hieronym. Præfat. in Es. (f) *Demonstr. Evangel. Propos. IV. de Propheta Esaia p. 432.*

§. XXXIV. Superest *Quintum* ac ultimum *R. Abarbenelis Argumentum*, in gratiam *Propheta Esaie* ab ipso adductum, quod quia infirmo admodum fundamento nititur, brevissimis adhuc expediendum nobis erit. Est illud *מִן חֵטְאֵי מֵתִים* à *Fine Libri Esaie* peti- tum, quem is duplicem esse statuit, *alterum* quidem, ut hominem ad veram ultimi sui Finis, *Resurrectionis* videl. *Mortuorum*, cognitionem perducatur, *alterum* ut eundem de Consummatione hujus Sæculi accurate informet. Argumentum in formâ tale foret: Quicumque Prophetarum plura Vaticinia de futura Mortuorum Resurrectione, deque Sæculi hujus consummatione, quam quisquam reliquorum proponit, is reliquis etiam jure præponi debet. Atqui *Esaia* &c. E.

Pro-

Propositionem Majorem iterum sicco pede præterit, statimque ad probationem Minoris se accingit, in ejus *priori Membro* roborando duas integras paginas infumit, adducens ex *Esaia* Vaticiniis XIV sic dictos מורשים sive *Articulos*, qui de futura Corporum Resurrectione, aliisque ad eam spectantibus non obscure agant. Et quamvis alii quoque Prophetæ v. g. *Ezechiel, Zacharias & Malachias* nonnulla hanc in rem tradiderint, esse tamen ista oppido pauca, & cum iis, quæ in *Esaia* occurrunt, ne æquiparanda quidem. Inde ad *alterius* quoque *Membri* probationem progreditur, provocando inprimis ad duo illustria vaticinia, quæ de *Consummatione Seculi* in *Esaia* legantur, quorum alterum in Cap. LI, 6. alterum verò in Cap. LIV, 10. continetur. Quibus ita satis latè deductis, tandem concludit: ולכן גם כפאת התכלית היה ראוי שיקדם ספרו לספרו שאר הנביאים *quapropter respectu Finis etiam conveniens est, ut Liber Esaia reliquorum Prophetarum monumentis preponatur.*

§. XXXV. Utrum *primarius* Libri *Esaia* *Finis* consistat in eo, ut de futura corporum Resurrectione ac totius hujus Machinæ resolutione hominem instruat, id quidem brevitatis studiosi impræsentiarum non inquiremus; videantur ea de re alii, qui *Fines* cujusque Libri Sacri ex instituto investigare voluerunt: demus, *Prophetam Esaia* in vaticiniis suis, eum, quem *R. Abarbenel* dixit, *Finem* potissimum intendisse; demus etiam, eundem *Prophetam* frequentius *Finem* istum inculcasse: quid verò inde lucrabitur Judæus? quid aliud? quam ut sub *finem* hujus *Controversiæ* iterum negemus *Nexum Propositionis*, quem in reliquis quoque argumentis omnibus non sine singulari tædio semper desideravimus. Tametsi enim aliorum fortè scriptorum, propriâ hominum industriâ editorum dignitas atque eminentia aliquando etiam ex *Fine* æstimari soleat, cum Libris tamen Sacris immediato instinctu divino exaratis longè aliter est comparatum. Hi quippe uti unam agnoscunt *Finem primarium*, ab ipso Deo ultimò intentum, *aternam* videl. *Hominum salutem* [de quo in Scholis Theologorum prolixius agitur] ita non potest non omnium etiam Librorum Sacrorum ad se invicem relatorum una quoque, eademque ratione *Finis* esse *authoritas*.

§. XXXVI. Atque ita sufficienter hæctenus, quantum quidem per chartæ ac temporis licuit angustiam, satisfactum esse putamus

Quinque illis Argumentis, quibus R. Abarbenel Prophetam Esaiam, Jeremia ac Ezechieli necessario ac suo quasi jure præponendum esse, evincere sibi proposuerat, iisdem sine dubio adhuc multo plura additurus, modo plura Causarum Genera à Metaphysicis fuissent excogitata. Cæterum vel ex hoc qualicumque specimine satis patere existimamus, non omnia, quæ in vastis R. Abarbenelis Commentariis proponuntur, ita comparata esse, ut iis sine discrimine assensus debeat, quin potius in illorum Lectione accurato opus esse iudicio, ut vera à falsis, solida ab ineptis ac ingenium Judaicum redolentibus ritè secernantur. Quod ipsum si in præsentis quoque Controversia rectius secum perpendisset D. Johannes Meyerus, superius jam aliquoties à nobis citatus, sine dubio refutatis hæctenus Judæi Rationibus tantum elogium haud tribuisset, iisdemque non ineleganter ab Abarbenele probatum esse dixisset, *Esaiæ primum locum competere in ordine Prophetarum.* (g)

(g) in Annot. ad Seder Olam c. XV. p. 971.

§. XXXVII. Antequam huic Disquisitioni finem imponamus, placet adhuc coronidis loco paucis expendere sententiam Cl. Jo. Lightfooti, summi quondam Angliæ Theologi atque Philologi, qui ex eo, quod *Jeremias* primum olim in Volumine Prophetarum locum obtinuit, rationem reddi posse arbitratur, *cur Matthæi XXVII, 9. illud, quod de XXX Siclis & Figulo apud Zachariam c. XI, v. 12. 13. legitur, a Jeremia scriptur perhibeatur, qui tamen nihil quicquam ejus in se contineat?* (h) Arbitratur nim. Vir Clariss. Evangelistam *Matthæum*, verba è Volumine Prophetarum citare voluisse sub illius imprimis nomine, qui primum locum tenebat in Volumine Prophetarum, utpote qui reliquos Prophetas omnes repræsentaret. Ne verò hoc insolens alicui videretur, adducit simul alium locum, huic non ab similem ex *Luc. XXIV, 44.* ubi Sanctissimus Salvator noster Discipulis suis omnia illa in memoriam revocaturus, quæ prædicta de eo fuerint in Scripturâ, provocet ad τὸν Νόμον Μωσέως ἢ Περὶ Φήτας ἢ Ψαλμῶν, per *Psalms* sine dubio intelligendo omnes Libros, qui *Hagiographorum* parte continentur, quippe in quâ primum locum obtinuerit *Liber Psalmorum*. Aut enim dicendum necessario esse, eum omnes Libros istius tertiæ Divisionis, exceptis Psalmis, exclusisse, quod non probabile, aut omnes eos sub nomine Prophetarum inclusisse, quod præ-

præter morem, si sub titulo Psalmorum omnes non comprehenderit. Quod non excluferit, ipsam dictare rationem, cum in plurimis istius partitionis libris de eo scriptum sit æque ac in Psalmis; & quod non incluferit intra titulum Prophetarum, dictare etiam rationem, quia tunc locutus fuisset præter & contra vulgarem sententiam ac receptionem gentis. (i)

(b) de quo difficillimo loco prolixissimè alias egerunt, & varias solvendi rationes suppeditarunt B. Gerh. in Harm. Passion. p. 360. ex eoque B. Walther. Harm. Bibl. ad h. l. (i) conf. Hor. Hebr. in Matth. XXVII, 9. & in Luc. c. XXIV, 44.

§. XXXVIII. Ut ut verò hæc sententia admodum speciosa sit, & hodiè non exiguum inter eruditos assensum fuerit nacta, possent tamen alicui adhuc dubia nonnulla circa eam oboriri, quæ ordine jam recensimus, quidque ex *Cl. Lightfooti* mente vicissim ad ea responderi possit, breviter simul indicabimus. Scilicet quod (i) ad probationem, ex *Luc. XXIV, 44.* allatam, attinet, posset quis excipere, Salvatorem nostrum provocatione sua ad *Mosen, Prophetas & Psalmos* non tam ad usitatam illam *Divisionem* Judæorum *τερχολομικην* in *תורה* *Legem*, *נביאים* *Prophetas* & *כתובים* *Hagiographa*, quam ad aliam potius *Divisionem*, vel ab ipsomet *Esra* (k) vel ab *antiquis Græcis* (l) factam alluisse, qui totum Codicem V. T. in tres generales Partes dispescuerint, in *Legem* videl. ad quam V Libros *Mosis*; in *Prophetas*, ad quos *Josua*, *Judicum* cum *Ruth*, *Samuelis*, *Regum*, *Chronicorum*, *Esram*, *Estherem*, *Jobum*, *Esaïam*, *Jeremiam* cum *Threnis*, *Ezechielem*, *Danielem* & XII *Prophetas Minores*; & denique in *Psalms* seu *Hymnos*, ad quos *Davidem*, *Proverbia*, *Ecclesiastem*, & *Canticum Cantorum* retulerint (m). Præterea si vel maximè daretur etiam, Salvatorem nostrum ad usitatum Judæorum *τερχολομικον* digitum intendisse, falsum tamen esse, quod in tertiâ illius divisionis parte primus olim locus *Libro Psalmorum* fuerit assignatus, cum ex eodem loco Talmudico, unde superius *Jeremie* Prioritas probata à nobis fuerit, ostendi possit, *Libellum* potius *Ruth* sedem istam occupasse, siquidem expresse ibidem dicatur: *סידורן של כתובים רות וספר תהלים ואיוב ומשלי קהלת שיר השירים וקינות דניאל ומגילת אסתר עזרא ודברי הימים*
Hic est ordo Hagiographorum: Ruth, Liber Psalmorum, Hiob,

Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Threni, Daniel, Volumen Esther, Esra & Liber Chronicorum. Quòd verò (2) ipsum locum *Matthæi* spectat, posset aliquis hæsitare, an etiam *Evangelista* revera *Jeremiam* pro *Zacharia* allegare voluerit, *partim* quia hoc esset contra ipsius ac reliquorum Scriptorum omnium consuetudinem, qui vel suppresso scriptoris nomine generaliter tantum, vel expresso quidem, at ita, ut vel integer locus, vel aliqua saltem illius loci pars apud citatum reperiatur, allegare testimonia soleant (n), hinc probabilius fortassis esse, *Evangelistam Matthæum* more suo alias non inusitato, vel plane citati nomen omisisse, & generaliter tantum locum hunc allegasse, h. m. *tunc impletum est, quod dictum per Prophetam*, uti is citatur in *Versione Syriaca*, & antiquis quibusdam *Codicibus latinis*; (o) vel etiam duo Vaticinia ex *Jeremia* & *Zacharia* conjunxisse, & sub unius tantum nomine allegasse (p): *partim*, quia in loco *Zachariae* ne verbulo quidem agri, pro triginta argenteis emti vel emendi fiat mentio, *partim* denique, quia apud *Matthæum* adhibeatur particula *διὰ*, quæ non obscure arguat, ipsum *Jeremiam* hic intelligendum, qui hoc vaticinium vel in *Apocrypho quodam Libro*, hodiè deperdito, expresserit (q) vel per *oralem* etiam *Traditionem* ad posteros propagaverit (r), cum absolum omnino videatur dicere, aliquid *divine* per alterum fuisse prædictum, cujus tamen nec vola nec vestigium apud ipsum reperiatur.

(k) Quo B. Pfeiffer inclinare videtur, Crit. S. p. 19. 20. (l) quod placet cum primis Sixt. Senens. B. S. p. 5. & Leusd. Phil. Hebr. Dissert. 2. Sect. 3. qu. 2. (m) quomodo Joseph. ap. Eusebium Lib. III. H. E. c. 9. sacram Scripturam dispescuit. (n) conf. erud. Dissert. Andr. Kesleri de Dictorum V. T. in Novo allegatione habit. Jen. 1627. nec non D. Jo. Christoph. Pfaffii de eodem argumento (o) teste August. Lib. III. de Consens. Evangel. c. 7. (p) in quâ sententia roboranda multus est Jesuit. Sanctius in Comment. ad Zachar. c. XII. (q) Sic enim commentatur in hoc loco Hieronymus: legi nuper in Hebraico quodam volumine, quod Nazarææ sectæ mihi Hebræus obtulit, in quo hæc ad verba scripta reperi. (r) quod placet Chrysoft. in Epist. ad Tim.

§. XXXIX. Hæc sunt potissima, quæ hanc sententiam premere videri possent dubia, quibus nunc ex mente *Cl. Lightfooti* breviter faciendum satis. Ac primo quidem, Salvatorem nostrum provocatione sua ad *Legem, Prophetas* atque *Psalms* ad vulgarem illam ac tritam Judæorum, inter quos vivebat, *Divisionem*, alluisse, id

id quidem extra omnem dubitationis aleam *plerisque Philologis* (s) videtur esse positum, cum ex variis N. T. locis constet, Scriptores Sacros non tantum, sed & ipsum Salvatorem nostrum sæpissimè antiquis Judæorum ritibus ac Traditionibus sermones suos conformasse (t); quod hic quoque ab ipso factum tamdiu par esset credere. donec idoneo quodam testimonio ostendatur, tempore Christi & Apostolorum aliam Divisionem vel ab *Esra*, vel ab *antiquis Grecis* adornatam in usu fuisse, ad quam digitum hic intendere Salvator voluerit. Quod *deinde* urgetur, *Libellum Ruth*, non verò *Psalms* primum olim inter *Hagiographa* locum obtinuisse, concedit id quidem *Cl. Lightfootus*, at regerit simul, hoc ipsum sententiæ suæ nihil quicquam officere: licet enim vel maximè detur, *Libellum Ruth* quoad tempus historiæ & quoad tempus conscriptionis primum locum sibi vindicare potuisse, inter omnes tamen, qui de Christo aliquid locuti fuerint, primum locum meritò obtinere *Librum Psalmorum*, ut hoc nominato reliqui etiam subintelligantur.

(s) conf. Buxtorf. Comment. Masor. c. XI. p. m. 99. Richard. Simon. Hist. Crit. V. T. c. 9. Laurent. Fabric. de Partitione Codic. V. T. p. m. 26. &c.

(t) quod variis exemplis illustrarunt tum ipse *Cl. Lightfoot.* in *Hor. Hebr.* tum etiam *Joh. Henr. Otho* in *Lexic. Rabbin. Phil.*

§. XL. Cæterum *Evangelistam Matthæum* communem ac vulgarem citandi rationem in hoc loco non observasse, uti *Cl. Lightfootus* inficias haud ibit, ita ex alterâ quoque parte eidem concedi debet, Scriptores Sacros N. T. varios ac speciales nonnunquam allegandi modos usurpasse, quibus alibi vix ac ne vix quidem similes reperias. Ecquis enim negaverit, præter morem ac consuetudinem reliquorum Scriptorum omnium ex *Libro Prophetarum à Luca* citari id, quod tamen apud solum Prophetam *Amosum* occurrit? Act. VII, 42. (u) Cur igitur, quod uni permissum fuit, alteri quoque non concedemus? aut cur propterea statim ad alias contortas, ac periculosas explicationes deflectemus? At inquis, nulla tamen apud *Zachariam* agri pro XXX argenteis emti mentio injicitur: quî igitur probabile esset, ipsum *Zachariam* sub *Jeremiæ* nomine citari? quasi verò necesse sit, ut Typus suo Antitypo exactissimè semper ratione omnium circumstantiarum respondeat? Optimè *Chrysof.* (x) oportet figuram minus habere, quam veritatem, quia alioquin non fuisset


isset figura futurorum (y) cujus effatum, cedro dignissimum ad præsens quoque non incommodè applicari potest. Quamvis enim apud *Zachariam* ager, pro argenteis emendus expressis verbis non nominetur, nominatur tamen רַבִּי צִרְיָהוּ *Figulus*, cui pecunia ista danda sit: pro quo autem dari debeat, id in Antitypo deinde apud *Matthæum* clarius exprimitur. Sed nec illud, quod de *particula δὲ* ultimo loco adducebatur, tanti est, ut propterea statim vel ad *Librum Apocryphum* vel ad *oralem Traditionem* confugere necessum habeamus. Etenim si diversa nonnunquam testimonia, in diversis Scriptoribus obvia, uni tantum in N. T. assignantur (z), quidnâ etiam liceret, unum testimonium, in alio obvium, sub alterius nomine allegare? Quibus omnibus ritè expensis, concludimus tandem cum *B. Frischmutho* (a): hanc *Cl. Lightfooti* conjecturam minimè esse contemnendam, multo sanè præferendam *Lud. Capelli* asserto, qui *memoriæ lapsu* Evangelistam sic allegasse locum non dubitavit asserere. Quam *Socino* quoque probatam sententiam, quantopere averfatus sit *Excell. Dilherrus* (b) his Poëtæ verbis testatur:

Obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit!

(u) de quo loco supra §. VII. lit. (u) plura exempla suppeditabunt *Kesler. & Pfaff.* in *Dispp. citt.* (x) *Homil. 61. in Genes.* (y) exempla vid. in *Glass. Phil. S. Lib. 2. P. 1. Tr. 2. Sect. 4. Art. 7. can. 3. p. m. 331.* (z) ut *Matth. XXI, 4. §. &c.* (a) *Dissert. sup. all. c. 2. §. 1.* (b) *Eclog. Sacr. p. 363.*

C O R O L L A R I A.

- I. *Literæ Græcæ suam figuram ac nomina acceperunt ex ea, que hodiè dicitur literatura Samaritana.*
- II. *Distinctio Scotistarum & Petri Fonsecæ Formalis ex Natura Rei non est probanda.*
- III. *Contradicit sibi Franciscus Suarez, quando *Disp. Met. 30. Sect. 6. n. 5.* dicit: certum existimo, & ratione naturali evidens, omnes perfectiones absolutas, prout sunt in primo Ente, esse de essentia ejus; & tamen statim in *n. 6.* concedit, quod in hoc essentialis ratio Dei consistat, quod sit primum ens de se necessarium.*
- IV. *Simulare aliquando Viro honesto licet.*



Coll. diss. A. 86, misc. 35